BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLV
A
10
NAPOLI

L. 13. 4 ſ.

XLVa 10

Lin. 13. 48.

DE

WESTPHALORVM

Siue

ANTIQVORVM SAXONVM SITV, MORIBVS, VIRTVTIBVS, ET LAVDIBVS.

LIBRI III.

OPVS NVNC DIV DESIDERA-*tum, variis, innumerabilibuſque, quibus ſcatebat, vitiis repurgatum, nunc in lucem denuò editum.*

AVTHORE

VVERNERO ROLEVINCK

Larenſe, Ordinis Carthuſiani.

COLONIÆ,

Apud VVilhelmum Frieſſem, ſub ſigno arboris.

TYPOGRAPHVS AD LECTOREM, ET conterraneos ſuos.

HAbetis hic, Lectores Conterraneiq́ue mei dilectiſsimi, Opuſculum, De laudibus VVeſtphaliȩ, pulcherrimum, Antiquorumque Saxonum, ex integro ac ſincero corde, affectuq́ue pijſsimo Coloniæ in Officina mea (quamuis minima) litteraria, longe quàm vnquam fuit, elegantius impreſſum. Conqueſtus ſæpè noſtris fuit VVernerus Roleuinck Larenſis, huius operis auctor, ordinis Carthuſienſis, vir religioſiſsimus & doctus, ſuum exemplar, prima editione ita corruptũ à Chalcographis, & inuerſum fuiſſe, vt eius potius exſtinctionem, quàm publicationem expoſtularet. Reſtitutum itaque priſtinæ integritati, am... ...m non aſpernatur propagatio... Qualis autem fuerit hic vir, & quam eruditus, apud Abbatem Spanheimenſem optimus quiſque intelliget.

Reſecauimus ergo (vt vidiſtis) dictiones quaſdam, quæ veram latinitatem ſapere non videbantur. Quaſdam vero clauſulas (ſententia tamen ſemper ſalua manente) omnemque parentheſim venuſtatis, Orationiſque excuſandæ gratia, multorum conſilio adiecimus.

Quapropter oro atque obſecro, omnes meos conterraneos (qui longè lateque per totum Orbem terrarum diffuſi eſtis) vt gratiam mihi, & honorem vobis, pro hac beneficentia perpetuo impendatis, & hoc Opus pulcherrimum iterum atque iterum legatis, exoſculemini, veneremini, & honoretis, quoniã non de VVeſtphalia duntaxat, ſed de Carolo quoque Magno, (qui vero ſemine Theuton erat) & mirandis Germaniæ antiquitatibus, rara quidem, non omnibus nota rectiſsimè complectitur. Plura item apud P. Oroſium de VVeſtphalis leguntur, quos natiua bonitate proditos, ſupra docuimus.

Et VVESTPHALIA denique ipſa latius ſe porrigit, & plures Epiſcopatus, Ducatus, & comitatus, gentemque con-

tinet ampliorem, quam vvlgo creditur.
Veſtri itaque Officij erit, Opuſculum hoc caſta manu ſuſcipere, patriam colere, conterraneis benefacere, & maxime his, qui bonis vſque artibus inuigilant.
Si igitur hoc vobis Opuſculum gratum fore animaduerterimus, ex Opuſculo, breui temporis ſpacio, (poſt diſtractionem tamen exemplarium) opus ſequetur, cui adhuc Doctiſsimi viri inſudant atque inuigilant. Valete fœliciter. 10. Iulij, anno poſt virginis partum 1602. ſtilo nouo.

Veſter ex animo ſtudioſiſsimus addictiſsimuſque,

Balthaſarus Clipeus, Ciuis & Bibliopola Colonienſis.

CLARISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, & Reuerendiſsimo in eccleſia dei, Domino Erico Monaſterienſis Diœceſis põtifici optimo maximo Ortuuinus de Graes, Coloniæ bonas literas docens, S.P. D.

L Audes VVeſtphaliæ & antiquorum Saxonum gloriam, reſque clariſsime geſtas, sereniſsime princeps, ac pontifex chriſtianiſsime, ante annos (vt opinor) ſex & viginti à vvernero de Laer ordinis Carthuſienſis, doctiſsimo pariter atque integerrimo viro, apud nos Coloniæ, pulcherrimo hoc opere conſcriptas, iccirco & celſitudini tuæ nuncupamus, proque noſtra paruitate modo dicamus, quod cui hac noſtra tempeſtate magis debeantur, aut à quo gloriam ampliorem certiuſque patrocinium conſequi poſsint, agnouerimus neminem. Tuæ enim antiquiſsimæ ducaliſque domus gloria viget, eſtque immortalis tanquam iubar ac Phœbi ſplendor cuncta colluſtrans. Proinde tu corpore ſimul atque animo feliciſsimus habere: ita etiam, vt de te duntaxat ſolo, quàm rectiſsime illud dici conueniat, quod ſpecies

Pria-

Priami digna fuerit imperio, falſumque plane Homerus hoc modo ceciniſſe cenſeatur: Non vni dat cuncta deus, formoſus vt idem, Sit ſimul & prudens, ac multa laude diſertus. Tu itaque qui dux es inclytus & VVeſtphaliæ celeberrimus princeps, omniumque (vt dixi) mortalium & corpore & animo feliciſſimus, pro tua humanitate opuſculum hoc grata ſuſcipies manu, atque ita ſuſcipies, vt quæ primarijs olim VVeſtphaliæ principibus conſecrata fuerunt, tuæ quoque nobilitati non immerito dicata iudicentur. De laudibus enim VVeſtphaliæ quis non multa atque egregia proferat. Nullus eſt locus ſub orbe lunari, neque tam reconditus, neque tam ſcopulis præceps, aut Neptuno peruius, in quo non inueniatur VVeſtphalus, & fide & religione præclarus. Natiua quadam bonitate, & ingenito diuinitus munere, tantum cæteris hominibus præſtare videtur omnis VVeſtphalus, quantum animi corporibus antecellunt. Hoc igitur tetraſticho noſtrum omnem celebramus conterraneum:

VVeſtphalus in cunctis ſolers, atque ore modeſtus
Viuidus ingenio, relligione ſacer.
Nobilis officio, nulli probitate ſecundus,
Illuſtrans orbem, coniuge, prole, domo.

Verum enimuero, vt paucis cōcludam, inclytiſſime princeps, Ego Ortuuinus ſeruus (vt ſic dicam) tuus,

in tua Diœceſi natus, ſed Dauentriæ ſub patruo meo domino Ioanne de Graes nutricis lacte & bonis dehinc artibus tempore Alexandri Hegij, illic tunc gymnaſiarchæ, enutritus, altus atque auctus, & ob idipſum vulgo Dauentrienſis cognominatus, commendo magnificentiæ tuæ patrem meum Fredericum de Graes, antiqua laudabilique ortum proſapia, & ſorores meas quinque, virgines præſertim veſtales tres deo conſecratas, meque poſtremo ipſum, vt tua bonitate & gratia adiuti, altiorem quandoque dignitatis gradum conſequamur. Vale præſul digniſſime. Coloniæ ex officina noſtra literaria. Anno à natali Chriſtiano. M.D.XIII. Octauo Calendas Februarias.

PRAE-

PRAEFATIO IN LIBRVM DE LAVDE ANTIQVAE Saxoniæ nunc vero VVeſtphaliæ dictæ.

VARIAE ſibi ſuccedũt cogitationes meæ, & mens in diuerſa rapitur. Iob. 20. Splendor paternæ gloriæ, verbum increatum, cui de omnibus cura eſt, per quod omnia ſubſiſtunt, in quo omnia viuunt, ſua immenſa virtute atque ſapientia, abyſſum abyſſo comparans, tam multiformi varietate, variaq; multiformitate, rationalem animam ad imaginem ſuam formatam dignificauit, vt ei nulla ſufficiant, præter eum qui ſupremus eſt. Verum quia parentum delicto exigit pœna, tãtam creaturam velut exulem ad tempus vagari, & à ſua voluptate alienam manere, rurſum eadem ſapientia latiſsimum campum cõtemplationis aptauit, eidem quo velut in ſpeculo & ænigmate delectabiliter ſe exerceat, donec ad ſuum principium, id eſt, abyſſum totius boni, cum multo fructu feliciter reuertatur. Eſt autẽ inter ſpectacula cętera,

ra, ſenſibilis mundus iſte cum habitatoribus ſuis olim puncto comparatus, nūc vero multiplicium gratiarum myſterio nobilitatus, & ſacris rebus animam chriſtianam exercens, quando tot & tanta omni miratione digna in eo facta, & adhuc fienda conſiderat. Hoc ipſum qualicunque paruitate mea expertus, ac pro viribus perquirens, crebroq; deficiens, iam lętus, iam triſtis: iam nolens, iam volens: iam ſolatio, iam faſtidio ſubactus: frequenter aſſumpta verba proclamare cogor, dicens: Variè ſibi ſuccedunt cogitationes meæ, & mēs in diuerſa rapitur. Et licet inſignium prouinciarum memoria, quam ſacro eloquio, ac alijs tradentibus codicibus glorioſa eſt, importune animo ſe ingerat, tamen neſcio qua ſorte in VVeſtphaliam, quaſi in natale ſolum delectabilius aduolo abſens, veluti ipſa præ cunctis alijs, quod non putatur, delicijs atque diuitijs ſit referta. Puto aliquid ibi latere, quod non æquè præſto mortalibus eſt, de quo ſi ſermo ſuppeteret, tanquam patriæ debitor, ad dei gloriam, & cunctorum iſtorum qui illic origi-

rigi-

riginem traxerunt,& de pòſt futuri ſunt, pauca è multis vtinam fructuoſe placeret conſcribere. Gloriabatur olim Roma orbis domina factis abundare, oratoribus caruiſſe, qui famoſa opera ſcripto ad poſteros tranſmitterent, nec idcirco doluiſſe, cum plus virtutibus quá verbis abundare affectaret, hocque ſibi in laudem dici, Græcia renitente, quæ ſemper ab omni æuo propter præclara ingenia illic abundantia, etiam exigua facta, multa ſermonum phalera proſequuta fuerat. Si ergo ſilens Roma loquaci Græciæ prælata eſt, cui VVeſtphaliam comparabimus? quæ etiam illuſtribus viris ditiſsima, pene nunquam iactantiam operum ſuorum oſtentare curauit, ſiue ſcriptis, picturis, ſculpturis, aut alijs characteribus quibuſcunque. Scriptum namque nouit: Laudet te alienus, non os tuum. Et iterum: Laus propria ſordet, ſed nobilis eſt aliena. Hanc doctrinam ſic ſtudioſe vſq; in præſens obſeruauit, vt quod mirandum reor, inter tot quos percurri co-

dices vix vnum repperi,ab aliquo VVeſtphalone conſcriptum. Sed & pauca quæ legi apud Francorum, Anglorum, ac Rhenenſium Saxonumque annales eo ſplendidius prouinciam hanc glorificant, quo veriora venuſtioraque ſunt quæ narrantur. Soluo igitur legem noſtratum hucuſque ſilentium, & aliqua ſaltem pauca omni laude digna depromere curaui, & eo licentius quo iam vltra triginta annos exul ac alienis exemplis prouocatū, me cerno. Suſcipe grata patria, quæ oſſa mea non habebis, munuſculum hoc paruum, & rectis exemplis id ornare curato, vt ſucceſſores in te memoriam noſtri habeant, ac probis moribus iugiter in fama & omni legalitate effulgeant.

R. P. VVERNERI ROLEVINCK LARENSIS ORDINIS CARTHVSIANI de moribus & ſitu vveſt phalorum.

LIBER PRIMVS in quo agitur,

De ſitu, moribus, ſimplicitate, conuerſatione, peregrinatione per orbem, victoria contra Anglicos, & de virtute VVeſtphalorum.

CAPVT I.

De ſitu VVeſtphaliæ & diſtinctione principatuum in ea contentorum.

VVESPHALIA, de qua nunc intẽdimus, terra eſt non vinifera, ſed virifera, eo altius à ſummo deo creatore omnium priuilegiata, quo precioſiora (vt ſic dicam) clenodia mundo celiſque tranſmittit. Hæc pro ſuo ſitu in

partibus Alemaniæ inferioris iacet, ab oriente Saxoniam à meridie Rhenum, ab occidente æque Rhenum vel Iſſulam, à ſeptentrione Oceanum habens. Ambitus eius quaſi rotundus circumfertur, cuius diameter quinque dietarum metitur. Nam Saxonibus contigua vergit ad Haſsiam, deinde ad VVeſtphaldam, hinc ad ducatũ Montenſem ſuper Rhenum ſitum, deinde ad ducatus Cliuenſium & Geldrenſium ſe mutuo complectentes, hinc ad Tuuentam, Drentam, Friſiamque ac demum ad Saxoniam iterum pertingit. Habet perinde epiſcopatus quatuor, videlicet Monaſterienſem. Oſnaburgenſem, Padenbornẽſem & Myndẽſẽ. Ducatus ab olim duos, videlicet VVeſtphaliæ & Engariæ. Comitatus domuſque illuſtres plures, ſcilicet Bentem/ Thekenborch/ de Marka/ 1. de Walteggen/ de Speyghelburch/ de Synxlaken/ Oldenborch/ Depholt/ Rauensburg/ Lymburch/ Arnsburch/ Rethburch/ de Lyppia/ Buyren/ Recklynchuſen/ Ludinchuſen/ Steinfordia/ Horſtmaria/ Borcklo/ Brunckhorſt/ de Bhemẽ/

de Cappenberch / Alioſque baronum, nobilium, domiciliorum caſtra atque pagos, qui (vt quibuſdam placet) priſcis olim temporibus ſub vno rege illius terrę tenebantur confœderati, alio tamen nomine nũcupati, vt infra dicetur. Hãc olim Iulius Cæſar, & poſt eum Druſus priuignus Octauiani, ſeu rectius Octauij Augusti, maximis & deſperatiſsimis bellis Romanorum ditioni ſubiugarunt, & quod corpora ingentia eius incolæ habuerint, hiſtoriographi narrant. Teſtatur Suetonius, nullum formidoloſius bellum egiſſe Romanos poſt punicum, quàm cum Germanis, ſed breue tempus finẽ dedit negocijs, Triennio enim tantummodo pugnatum eſt. & Quintilius Varus cum pluribus cecidit. De hac terra ſic legitur in libro de proprietatibus rerum. VVeſtphalia germaniæ inferioris eſt prouincia, quæ nobiliſsimis duobus fluminibus cingitur, id eſt, Veſero & Rheno. Terra eſt multũ nemoroſa, paſcuoſa, plus alendis gregibus quam ferendis fructibus apta, multis fontibus & amnibus eſt irrigua, fa-

moſa,Lyppia,Rura &c. Fontes habet ſalis fœcundos & mótes fertiles. Metallis abundat,terra,fructibus, glandibus, nucibus atque pomis, etiam feris, porcis, pecudibus & iumentis referta. Populus communiter elegantis ſtaturę eſt & pulchræ venuſtæque formæ, & fortis corpore, & audax mente. Militiã habet copioſam,ac mirum in modum animoſam promptam ad arma & mox paratam. Ciuitates habet fortes & minutas. Caſtra fortiſsima & oppida tam in montibus quam in planis. Hæc in prædicto libro.

Verùm his apponenda ſunt aliqua, videlicet quod in quibuſdam locis eſt maxime frugifera, ſcilicet circa Suſatũ, Tremoniam,Padebornam ad longa ſpatia,& in Diœceſi Monaſterienſi,de communibus neceſſarijs ſic dotata, vt ſi inter montes niueos eſſet circumſepta ſatis, ac ſuper abſque aliarum prouinciarum ſuccurſu,poſſent ibi habere homines,de quo bene viuere poſſent. Scio ibi plura loca, vbi nihil adduci ſolet de alienis terris,niſi forte, ſpecies, vinũ ac pannus precioſus cũ pauculis pecuniis, quę vtiq; neceſ-

neceſſaria incolis non eſſent,propter rerum ibi neceſſariarum abundantiam.

Sunt proinde quædam VVeſtphaliæ partes ita ſteriles, vt vix aquila ibi pullos ſuos nutrire poſsit,& tamen ſtupore grandi homines ibidem habitant, fortes,ſani, decori,quaſi rore cæli ſuſtentati. Hi tamen ex vicinis prouincijs auxilia victus, ſibi per labores & induſtriam procurare ſolent. Cæterum quicquid olim de VVeſtphalia, ſiue ſcriptum, ſiue dictum ſit, nos hodie videmus, quod in pinguibus bobus,vitulis,porcis, metallis, lana,& lino, tritico optimo,lapidibus, tam ad imagines ſculpendas, ſiue domos extruendas,quam ad molares & cotes faciendas,lignis que ad diuerſos vſus aptis,& alijs quibuſdam ita abundat, vt circumiacentes prouincias ſupra quã credibile cuiquam ſit, reficiat, & etiam vltra mare ſua mercimonia tranſmittat. Porro hæc quanquã Dei dona ſint, & cũ omni gratiarum actione recipienda,Tamen hæc parui eſtimo, reſpectu virorũ proborum, qui omnibus beſtijs alijſque rebus, incomparabiliter preſtantiores

 ſunt,

ſunt, omniaque excedunt, quæ in obſequium humanæ neceſsitatis veniunt, quorum copia in VVeſtphalia eſſe ſolet, à diebus antiquis. Et profecto nullam ſcio regionem in Chriſtianitate, quæ noſtræ VVeſtphaliç comparari poſſit, in hac parte, vt tot animatos homines vtriuſque ſexus emittat, & nihilominus ſuam prouinciam copioſe exerceat, & in nullis, quæ ad rem ſpectant, vel in minimis negligat, ſitque ſemper parata in idipſum, id eſt in perſonis abſque vllo precio gratis emittendis. Et de his nunc reſtat dicendum.

CAPVT II.

Vnde proceſsit gens VVeſtphalica, & de primis cultoribus terræ illius.

VNde VVeſtphalones proceſſerunt ſpecialiter, aut quis princeps eorum primus extitit, aut quomodo illuc primum venerunt, aut vnde egreſsi, & qualiter profecerunt in terra iſta, ad liquidum

quidum reperire non potui. Quod autem veriſimiliter ex certis indicijs aliarum gentium, quæ ſcripta reliquerũt, mihi videtur, breuiter exponam. Et primum aduertendum eſt, quod gens iſta à principio non fuit hoc vocabulo nuncupata, ſed poſtquam Karolus magnus eos ad fidem conuertit, hoc nomen ſibi aſſumpſerunt, quaſi in diſtinctionem ab alijs Saxonibus, cum quibus in paganiſmo eodem nomine nuncupabantur. Quia ergo ipſi primo ad fidem venerunt, & Saxones orientales adhuc grauiter bellabant contra Principem ſanctum, quaſi gloriantes de ſua conuerſione, ſe VVeſtphalos, id eſt, VVeſtfideles nominare maluerunt. Alij dicunt, quod Phalos olim, idem quid ſocius dicebatur, & ſic Saxones qui erant vltra VVeſerã dicebantur Oeſtphali, qui citra VVeſtphali, & ſecundũ tales erat nomen antiquum. Quidam putãt, quod ſic dicti ſint à quodam cãpo occiduo, ſicut VVeſteruualder à ſilua nomen traxerunt. Quicquid horum verius eſt, nõ ſummopere curandum reor, cum huius certum

ſit, quod antiquitus hæc terra Saxonia vocabatur, ſicut adhuc in quibuſdam locis de more eſt, quod conſcriptiones & actus iudiciales ibidem fiant ſub Saxonum nuncupatione. Idem patet ex pluribus hiſtorijs, de quibus infra dicetur.

Nunc autem, vt cepimus, percontari libet, vnde primum venerunt, qui hanc terram incolere & inhabitare cœperũt. Vbi eſt ſciendum, quod Noe tres filios habuit, ſcilicet Sem, Cham, & Iaphet, ex quibus propagatum eſt vniuerſum genus hominum ſuper terram poſt diluuium, vt dicitur Gen. 10. Creſcente autem multitudine populorum, cum adhuc omnes eſſent in terra Sennaar Turrẽ Babylon ædificarunt, & impediti diuinitus, intermiſerunt opus inceptum, propter confuſionem linguarum. Fuerunt autem in vniuerſo ſeptuaginta duæ nationes ſiuę progenies principales, quarum vigintiſeptem deſcenderunt de Sem, triginta de Cham, & quindecim de Iaphet. De quibus Auguſtinus. 16. de ciuitate dei, diligenter tractat, dicens inter cætera, Harum gentium vocabula

par

partim manſerunt, ita vt & hodie quoque appareat vnde fuerint deriuata, ſicut & Aſſur Aſſyrij, & Heber Hebræi, partim tẽporis vetuſtate mutata ſunt, ita vt vix homines doctiſsimi, antiquiſsimas hiſtorias perſcrutantes, nec omniũ, ſed aliquarum ex iſtis origines gentium potuerint reperire, &c. Demum coacti filij Noę à ſe mutuo recedere, ſortem miſerunt, vt quiſque gens ſciret quam terram reciperet in poſſeſsionem. Tota autem terra natura habitabilis, diuiſa eſt in tres maximas partes, ſcilicet Aſiam, Africam, & Europam, quæ filijs Noe diſtributa eſt. Cecidit ergo ſors prima filijs Sem, vt Aſiam poſsiderent: Hoc eſt, vt in eodem loco, ſcilicet Sennaar, & terris circumcirca adiacentibus, remanerent. Cecidit ſors ſecunda filijs Cham, vt Africam obtinerent, hoc eſt, vt à fratribus ſuis recederent vſque ad AEgyptum & eã cæteraſque regiones vſque ad extremos fines maris Athlantici incolerent. AEgyptus enim (vt apte propheta regius Dauid teſtatur) terra Cham dicitur. Manſit tamen Canaam fi-

lius Cham contra fas in Syria palęſtina, quę nunc Iudęa, dicitur, vt terra promiſſionis, & ibi gentem conſtituit fortem & magnam cum multis titulis notis in Scriptura Sacra. Et quoniã iniuſte fecit contra filios Sem, ideo poſt per Hebræos, quibus Ioſue de mandato domini præfuit, qui deſcenderant de femore Abraam, iuſte eius poſteritas deleta fuit, vt teſtatur Beatus Auguſtinus in quodã ſermone ſe legiſſe in ſacris libris. Cecidit ſors tertia filijs Iaphet, vt Europam in poſſeſsionem acciperent, hoc eſt, vt mare mediterraneum tranſirent, & loca reſidua inhabitarẽt. Vnde dicitur, quod Iaphet ædificauit Iaff, ciuitatem antiquam, quę portus eſt ad inſulas maris, & nomine alio dicitur Ioppen, ac inde nauigarunt filij eius ad loca deputata. Habuit autem Iaphet inter cæteros filium quendam nomine Magog, à quo Goti traxerunt originem ſecundum Hieronymum, in libro de quæſtionibus Hebraicis. Ab iſto Magog velut homine forti deſcendit ſtirps robuſtiſsima, quę Scythica vel Gotica dicitur, ad om-

nem horrorem frigorum, & caumatum vſque in præſens impauida. Vnde & ob hoc terram pene inhabitabilem perdomuit, & quod dictu mirum eſt, ſuis moribus ſeruire coegit. Vbi alij timoris mortiſque imaginem ſuſpicabantur, illic iſti ſecundum pene in orbe regnum, quod Scytharum dicitur conſtituerunt. Horrendus populus quem olim magnus Alexander Macedo pertimuit, dicens, Qui victor eſſe cupit, à Gothis ſe abſtineat. Nouit eos tanquam vicinus, quorũ & viliſsimo cibo & veſtitu inculto, fortiſsima membra tegebant, & nullis plumis aſſueta, ſed cælo horrido ſimilima ingenia habentes. Hi ſunt, quibus Iulius Pompeium debellans plus vicit celeritate quam poteſtate, glorificanſq; eos ait: Nunc ſcio hoſtem noſtrum fortuna deſtitutum, quoniam talibus auxiliatoribus ſtipatus, triumphare nequiuit. Horum profugi Romam orbis dominam, Italiam, Africam, Lombardiam, Galliam, Hiſpaniamque, per ſexcentos annos mirabili ferocitate, nullo reſiſtere valente, attriuerunt. Et breuiter plura

concludendo, de Gothorum potentia & triumphis inſuſpicabilibus, pleni ſunt libri tam paganorum quam Chriſtianorum. Verum licet regnum iſtud ſit vetuſtiſsimum, tamen quia barbarorum eſt, inter principalia regna nō computatur. Vnde propter populi illius groſsitiem, regio illa ſemper dicta eſt barbarica, extenſa nimis, quia Mæotidis paludibus incipiens, inter Danubium & Oceanum ſeptentrionalem, vſque ad Germaniam porrigitur, & eſt prima pars Europæ. In ea regnauit Tanus primum de ſtirpe Iaphet. De his Vngari & Dani proceſſerunt, vicini eorum. Et hæc quidem aperte in libris antiquitatum leguntur. Nūc vero veriſimiliter de aliis prouinciis contiguis non irrationabiliter ſyllogizandum pariformiter æſtimo, quod paulatim ex eiſdem & ipſorum hæredibus inhabitari primo cœperunt. Teſte enim Beato Hieronymo, vbi ſupra, cæteri filij Iaphet, alias terras occupauere, nec quiſquam ad hanc inferiorem plagam ſeptentrionalem peruenit. Igitur Poloni, Auſtrales, Bohemi, Pruteni, Turingi,

Paſſones, Sueui, Franconij, Saxones, & VVeſtphalones, cæterique Germaniæ & Almaniæ populi, ab eiſdem filijs Iaphet per lineam ſcilicet Magog, & ſucceſſorum ipſius deſcendiſſe puto, quorum in hiſtorijs nihil veriſimilius reperire potui. Si tamen aliqui particulares conſcriptiones ſeorſum de aliqua gente ſpecialiter habentur, ſicut de Friſonibus, aut alijs forte quibuſdam ſimilibus, quæ ad manus meas non peruenerunt, illarũ fidei in nullo detrahere intendo, ſolummodo hic perquirens, quam veriſimilia eſſe probauerim. Nec me latet pluribus prouinciis alienos hoſpites ex more ſuperueniſſe, ac principatum obtinuiſſe, incolaſque ſubegiſſe, & ſuum titulum eiſdem impoſuiſſe, de quibus nunc ſermo non eſt. Sufficit in hac parte prima, originem noſtræ VVeſtphaliæ tetigiſſe.

CAPVT III.

De moribus VVeſtphalorum antequam ad fidem conuerterentur.

REM nouam, vt ſupra proteſtatus ſum, ago, & idcirco correctorem in his ſupplicem exoro, vt quæ minus ad normam cedunt, ipſe ad meliorem & certiorem formam aptare dignetur. De vita ergo parentum noſtrorum, ex quibus originem traximus, quo ad priſtinam ætatem, ſicut & de cæteris gentibus flebile eſt aliquid narrare. Quoniam vt ex multis ſignis & certis indicijs perpendimus, omnes pene in miſerabile illud ſacrilegium ſiue idololatriæ crimen corruerunt. Dicente ſcriptura, de Behemoth, id eſt, hoſte antiquo. Abſorbebit fluuium & non mirabitur, & habebit fiduciam qua Iordanis influat in os eius. Quod exponens beatus Gregorius dicit: Antiquus hoſtis pro magno non habet, quod infideles rapiat, qui totum humanum genus pene per tot temporum ſpacia in ventrem ſuæ mali-

ſtraxit, ſed inſuper fiduciam habet, quod baptiſmo regeneratos abſorbere poſsit. Ex his & alijs ſatis patet, quòd per multa millia annorum progenitores noſtri hic infideliter vixerunt, & tandem pro ſuis peccatis ad inferna deſcenderunt, & illic æterna ſupplicia infæliciter luunt. Dicit enim apoſtolus, quod impoſsibile eſt, ſine fide placere Deo. Pie tamen creditur, quod clementiſsimus aliquos electos inter eos habuit, ſecundũ illud pſalmi. Nunquid in vanũ cõſtituiſti omnes filios hominũ? Hæc ex ſententia beati Auguſtini probari aliqualiter poſſũt in 18. de Ciuitate dei, vbi loquitur de ſãcto Iob. qui nec circũciſus fuit, nec legẽ aliquã accepit, & tamen cũ ſuis prolibus & amicis Deo fideliter ſeruiuit. Itẽ, 16. libro dicit, quod poſt benedictionẽ filiorum Noe vſque ad Abraam nulla fit mentio iuſtorum aliquorum, nec eos tamen defuiſſe crediderim. Quoniã ſi omnes cõmemorarentur nimis lõgum fieret. Item circa annos domini ſeptingentos nonaginta, in Cõſtantinopoli, lamina aurea inuenta eſt, ſuper corpus

cu-

cuiuſdam defuncti in quodã ſepulchro, in qua ſic ſcriptum erat: Chriſtus naſcetur de virgine Maria, & ego credo in eum. O ſol iterum videbis me, ſub Conſtantino & Irene.

Circa annũ domini vt puto. M. CC. in Vienna repertum fuit caput cuiuſdã defuncti, lingua adhuc integra cum labiis, & loquebatur recte. Epiſcopo autem interrogante qualis fuiſſet in vita, reſpondit: Ego eram paganus & iudex in hoc loco, nec vnquam lingua mea protulit iniquam ſententiam, quare etiam mori non poſſum, donec aqua Baptiſmi renatus, ad cælum euolem, quare propter hoc hanc gratiam apud Deum merui. Baptizato igitur capite, ſtatim lingua in fauillam corruit, & ſpiritus ad Dominũ euolauit. Ex his & ſimilibus colligere poſſumus, quid diuina miſericordia veriſimiliter egerit erga cæteras gentes, in quibus magna virtutum exempla reperimus. Et nunc ad noſtram vveſtphaliam redeundo, hoc ſatis ſecurè loqui poſſumus, quod prout in plurimum ipſa ſuis incolis plus auſtera quam delicioſa

ſemper

ſemper fuit. Et vſque in præſens, paucis reſpectiuè exceptis, quicunque in ea debet victum quærere, & ſe & ſuos legaliter adminiſtrare, oportet quòd die & nocte labori, ſolicitudini, anxietati, ac cæteris, quæ carni moleſta ſunt, inſudet.

Inſuper per interualla temporũ crebro à diuerſis grauiter afflicta, legitur, & iterum iterumque in ſeruitutem redacta, pluribuſque armis & violentiis oppreſſa. Hæc (ſi recte informati ſumus) ſigna diuinæ clementiæ ſunt, & ipſam amplius prouocare ſolent, dicente ſcriptura: Non punit Deus bis in idipſum. Speramus ergo, quod etiam tempore Paganiſmi miſericors Deus (quam non obliuiſcitur miſereri, neque continere poteſt in ira ſua miſericordiam ſuam) aliqua vaſa electa ibi habuerit, quibus & hic bonas virtutes, & in futuro mercedes ſempiternas prouiderit. Denique tempore fidei promulgatæ in vicinis prouinciis multo amplius ſaluandorũ numerus ibi excreuit, licet potentes fidem perſequerentur, ſicut vbique conſuetum

ſuetum fuit,tamen feruens charitas amicorum Dei quotieſcunque poterat, ſiue occultè ſiue apertè prædicando de incẽdio rapuit. De ſancto AEgiſto legitur, quod erat vnus de ſeptuaginta duobus diſcipulis domini, quem beatus Petrus apoſtolis miſit in Saxoniam, & prædicare cœpit, ſed fructum terra illa nõdum protulit, quin potius martyrio coronatus eſt. Et eius reliquiæ vſq; hodie oſtendũtur in Bardeuuick prope Luneborch, quæ olim fuit ciuitas glorioſa, ſed anno domini, M. C. XCIX. fuit deſtructa per Henricum ducem Saxoniæ, eccleſijs relictis abſque læſione.

CAPVT IV.

De ſimplicitate & pacifica conuerſatione primorum incolarum huius terræ.

OMnium eadem eſt ſententia, fructũ tenere naturam radicis, & conſueta difficulter relinqui. Quia & conſuetudo altera natura dicitur, poſſumus nimirum ex hoc aduertere VVeſtphalos ex ſimplici & pacifica gente traxiſſe ori-

ginem, & quod frequentius ab alijs iniuriam pateretur, quàm inferret. Si cui dubium eſt, an ita ſit, requirat annales priſcorum, & puto, quod cum de bellis & ſæuicia horribili, quæ mundum concutere ſolent, mentio fit, primos habitatores VVeſtphaliæ non illic reperiet. An autem ipſi ſint iniuriam paſſi ab alijs, & an afflictionẽ patienter ſuſtinuerint ſtatim declarabo. Iam enim loquor more ſcriptorum veterum, qui Romanas res in lucem produxere, Saturnia tẽpora quãdo honeſta ſimplicitas pacificè & ſine dolo Italiã incoluit, crebro commemorãtes, cui noſtra VVeſtphalia quod ad multa conformis fuit. Nã ſicut illuc primo Saturnus decreto, & poſt Aeneas cũ alijs Troianis aduenerunt, populum ſimplicem, aut informantes aut opprimentes, ita huc primo Macedones, & longè poſt Franci applicuerunt. In quodam enim libro ſic inter cætera ſcriptũ reperi. Poſtquã Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia, percuſſo Dario rege Perſarũ, contra Porum regem Indorum properauit ad bellum,

inter Riphæos montes circa mare Caſpium, exercitus ſui partem ex Macedonibus collectam, ad illius patriæ cuſtodiam collocauit. Cumque ſubactis Indis, & reuerſus Babyloniam veneno interiiſſet, Macedones, circa montem ſaxũ Marpeſica, quodam duce Amazonici exercitus nominatim commorantes, mortem eius cognoſcentes, animis conturbati, in Macedoniam per terram ſe poſſe reuerti, propter odium gentium, quas bellis attriuerant, plurimum deſperabant. Quapropter præparatis nauibus in mare Caſpium ſe mittentes, per vaſtitatem Septentrionalis Oceani ſedes ibi quærendo diu nauigabant. Ex quibus tamen poſt multa maris pericula naues. 24. ad oſtia Albiæ fluuij in loco qui Hadelon, Latino quidem ſermone nunc terra Hadelariæ Bremenſis diœceſis dicitur, applicuerunt ad littus. Interroganti autem ab incolis, quò veniſſent. Reſpõderunt, De Saxo. Vnde & dehinc Saxones vocati dicuntur. Quidam ergo ex eis, terras ibidem circa littus maris Oceani viribus occupabant, qui poſtea holt-

Holtſaſſen ex ſyluis & paludibus,in quibus degebant, nunc vero corrupto nomine Holſten ſunt appellati. Alij nauibus fluuium aſcendentes Thuringos,tũc iuxta montem Harth verſus Septentrionem dominium tenentes, inuaſerunt, quod nomen Saxonum ſimpliciter obtinuerunt. Cumque hi Saxones & Thuringi mutuis ſe bellis, pro ſedibus obtinendis,frequenter impeterent, tandem Thuringi cedentes vltra montes Harth ſe recipientes Saxonibus loca dimittũt. quod omnes iſti Saxones militaribus armis inſeruire conſueuerant,vix alter alterum ſibi præeſſe ſinebat. vnde quidam ex eis, latius quærendo ſibi ſedes, flumẽ vveſeram tranſierunt, & quaſi vſque ad Rhenum fluuium omnes incolas regionis illius per ſiluas, & rura diſperſos,in ſeruitutem redegerunt. Exinde armorũ militarium nimia pluralitas & ſeruilis conditionis neceſsitas inter vveſeram & Rhenum vſque ad tẽpora noſtra perdurant. Hi autem poſtea fortiſsimè primam illam defenſantes,tanta fortitudine hoſtibus reſiſtebant, vt Romanis exceptis

ceptis à nullo vnquam vſque ad Karolũ magnum poterant ſuperari.

Hæc prima ſunt qui de noſtra prouincia reperi conſcripta, & geſta fuerũt ante benedictamChriſti natiuitatem,quaſi annis trecentis. Iam ſi placet,pius hic animus attendat, quantæ manſuetudinis gens iſta fuit,ſic violenter à paucis ſubacta, ſic deinceps humiliter ſeruiens, ſic patienter aduenis obtemperans. Quis vnquam audiuit,quod talia ſuis oppreſſoribus reddiderunt,qualia ſibi fecerãt. Huius tantæ beneuoléntiæ reliquias plures vidi, viros ac fœminas venerabiles, magnæ probitatis, & ſimplicitatis,exẽpla præclara, totius tam pacis quã ſacræ fidei amatores.E quibus vnũ breuiter exemplũ ponã,quod mihi in pueritia accidit. In villa qua natus fui per interualla temporũ,quinq; iudicia ſecularia per altos comites obſeruabãtur.Euenit igitur, vt cũ genitore meo illuc pergerẽ, & cæremonias,phaleramq; ſermonũ, non dico honeſtam nequitiam illã animaduerterem, qui ex tũc cordi ſic delectabiliter

ad-

adhæſit, vt crebro maluiſſem prandium differre, quam illic non affuiſſe. Currenti igitur mihi aliquando in ſpiritu vehementi, obuius fuit venerandus quidã vir grandæuus bene dilectus, & iuxta, modulum ſuum prudens ac diues, legalibuſq́ue filijs, ac filiabus ex more honorabiliter ſtipatus. Iocunde ergo me ſalutans, quæſiuit quo tam celeriter feſtinarem. At ego Ad iudicium pergo, Et ille grandi ſe cruce ſignans ait. Benedicat mihi nunc dilectus deus. Ego in hanc ætatem vſque perueni, qui nunquam ante iudicium fui. ſic mirum fuit apud illos honeſtos patresfamilias iuxta apoſtolicam ſententiam, & quaſi delictum, qui Chriſtiani inter ſe iudicia haberent. Qualiter autem noſtra ætas de ſuis patribus probos viros fecerit præſens tempus probat. De alijs autem exemplis ad idẽ pertinẽtibus, quomodo vnus paſtor illic totam parochiã in ſpiritualibus, & vnus Sculteтus in tẽporalibus adminiſtret, & quã humiliter ſubditi obtẽperẽt, ſuperfluũ eſt dicere, quanquã & hoc verum ſit, quod hæc honeſta ſimplici-

plicitas facilius in villagiis & ruralibus pagis,& diutius poterit continuari, quàm in quibuſdam ciuitatibus, maximè vbi merces & nundinæ frequentantur: vidi nihilominus in talibus nonnullos inclytos domicellos ac probiſsimos ciues humiliter, & benignè cōuerſari,vt quod eſſet ſuperbia,aut dolus cæteraque vicia, proximorum paci aduerſantia,non intelligerent.

CAPVT V.

De honeſta & rationabili cauſa peregrinationis VVeſtphalorum per orbem.

PAulo apoſtolo ſancto atteſtāte didicimus, ſic Dominum Deū inſtituiſſe humanum genus,vt vnius inopiā ſupple ret copia alterius. Quia ergo ſunt nonnullæ prouinciæ fertiles excellenter,& tamen ad propagandam ſobolem minus aptè naturaliter,& econtra alię ſteriles, & generoſæ. Ideo rationabiliter ſic diſpoſitum ab antiquis diebus inter principes communitates audiuimus, & vſq; in præſens videmus, vt mercimonia &

alia neceſſaria de communi conſenſu de loco ad locum transferantur. Dicuntur autē illæ regiones cæteris precioſiores quæ precioſiora clenodia emittunt, iuxta quod Græcia præfertur Slauoniæ, & Aſia Africæ, & ita de alijs, ſecundum quem etiam modum VVeſtphalia antiquitus inuenitur habere, & excedens, & exceſſum. Excedit namque alias prouincias habita conſideratione quantitatis ſuæ in hominibus, fortibuſque viris gignendis, & à multis alijs exceditur in quibuſdam, quæ ad vſum hominis ſunt neceſſaria. Sed quemadmodum ſimpliciter loquendo nihil eſt ſub ſole precioſius homine, propter quem omnia facta ſunt, & fiunt, cui etiam ſancti angeli ſeruiunt, & cui cum eiſdem regnum cęlorū repromiſſum eſt: ergo ſequitur quod prouincia hæc, quo ad hanc partem precioſior & nobilior eſt alijs, & fuit & erit, quam diu Dominus Deus ita diſpoſuerit cum ea. Si forte hoc alicui videtur minus ſolidum, poteſt attendere communem curſum humani generis in quo raro aliquid magni penditur, niſi neceſ-

ſitas ingruerit. Tollat ergo officioſum ſeruitium, magnuſque & periculoſus ille labor, quem VVeſtphali per totũ orbem terrarum faciunt, videbis profectò non bene gubernari omnia. Dij boni quã multa monaſteria, in quibus ſeuere viuitur diminuentur, quam multæ ciuitates in officijs arduis & conſilijs defectũ ſuſtinebunt, & curis grauabuntur inſolitis quot prælati & principes, cæterique viri magnifici, equos & lectos minus debite præparatos aſcendent, quot naues in portu remanebunt, quot pauperes & deſolati eleemoſynis & conſolationibus priuabuntur? quot eccleſiæ, altaria, collegia, hoſpitalia, monaſteria, prælaturæ, conſueta ſubſidia in pluribus nationibus non recipient? Qui ſi dicat quis: Hæc ſi VVeſtphali non facerent, alij pro eis facerent. Reſpondeo. Quare modo non faciunt hæc ad omnem ſufficientiam, vt proſelitorum horum ope non indigeant, ipſoſque excludant. Noſco ac noui multos valde egenos, qui eleemoſynam indifferenter ab omnibus libenter acciperent, de quibus pronun-

cio,

cio, quod innumeris (vt ſic dicam) vicibus, de exulibus VVeſtphalis largiter ſuſtentati ſunt, & ſuſtentētur adhuc. Faciant hoc alij, & ipſi ſua retinebunt. Quā ti & quam magni patresfamilias famulos fideles quæſierunt, & vveſtphalos inuenientes, delectati ſunt operatione & officio ipſorum, de morte eorum ſupra modum contriſtati. Non hæc ita ſcribimus, vt cæteras velim nationes excludere, ſed vt quibuſdam minus diſcrete loquentibus informatio detur hoc modo, quòd hæc prouincia humanæ neceſsitati & commoditati reſpectiuè plus cæteris ſubſeruiat. Inſuper quod hæc non fortuito agantur, ſed Dei diſpoſitione, ſine cuius nutu ne folium quidē arboris in terram cadit, qui ſingulis regionibus & hominibus, hæc aut illa dona largitur, prout ſuæ placet voluntati. Si enim bonitati omnipotentis Dei, de ſeruitio beſtiarum grati eſſe tenemur, & Eccleſia in ſacroſanctis etiam miſſæ officijs pro ipſarum conſeruatione precatur, quanto magis idipſum fieri oportet, vt homo homini

auxilium, ſolatium, ac conſilium impendat. Ab ipſo enim ſunt omnia, ſiue hæc, ſiue illa, ab angelo vſque ad minimum vermiculum. Gratias igitur agamus diuinæ diſpenſationi, & venerabilium VVeſtphalorum cæterorumque famulorum quorumcumque nationum neceſſariæ ſeruituti. Ecce ego qui à cura familiari mentem liberam gero, & à laboribus ſeruilibus alienus, molles manus porto, cunctis garrulis exemplum præbeo, ſilentioque exhortor me pariter cũ illis, vt prælatis noſtris & obedientiarijs (vt ſic dicam) ipſorum grati ſimus, ac pro illis deuotas preces fundamus, ſicut tenemur, alioqui ſolicitudo & labor ipſorum in illa die teneritudini noſtræ pondus graue imponet. Sacro namque eloquio teſtante, ſcimus, quod Deus & fidelis laborator, ſunt veri omnium domini quæ in vſum veniunt humanum. Et apoſtolus dicit: Qui non laborat, non manducet. Cæteri omnes aut ſunt diſpenſatores aut mendici. Nemo igitur ſibi blandiatur, quòd in ocio ſit ſecurus. Alioquin audiet quid in libro ſapientiæ con-

contra tales diuinus ſermo minatur dicens: Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtãtia aduerſus eos qui ſe deprimebant, & abſtulerunt labores eorum. Sed vt ad noſtrum propoſitum redeamus, oſtendere aliqua reſtat, qualiter ſepe dictum ſeruitium VVeſtphali à diebus antiquis ſoliti ſunt, cæteris prouincijs impendere. Et quod ſuprema neceſsitas in bellicis negocijs copioſius eluceſsit, imo quales antiqui Saxones reperti ſint in huiuſmodi, iam pauculis explanabo.

CAPVT VI.

De victoria Saxonum habita contra Anglicos.

TEmpore Theodoſij ſecundi circa annum domini. CCCC.XX. Rex Britanniæ, id eſt, Anglię grauiſsimum diſsidium cum ſuis incolis habuit, id quod illic nouum non erat. Irruentibus ergo fortiter Britonibus rex nullum pene habuit ſuffragium, niſi aliunde quaſi diuinitus miſſum. Et ecce ſubitò & inſperatè, phalerata cohors iuuenum Anglicis littoribus applicuit, faciemque regis

ſummopere concupiuit aſpicere, ac eius potentiæ aſsiſtere. Admiſsi ergo ſolo tenus adorare regem, prout moris eſt, cœperunt, ac deinceps, cauſam ſui aduentus propalare, ſi tamen hoc regiæ maieſtati gratum foret. Annuente rege, vnus, eorum præloquens ait: Pacifici venimus ad terram tuam Sereniſsime princeps, tecum habitare cupimus, & honeſtam vitam tranſigere. Noſtra enim regio lõge vltra quã nutrire poteſt homines generat, & iccirco legaliter emiſsos huc nos ſors adduxit, vt ſi Celſitudini tuæ nõ aduerſum videatur, noſtro contubernio ad placitum perfruaris. Sin autem, dic ſeruis tuis, vt hinc faceſſant. At rex: De qua gente eſtis, & cuius religionis? Reſpondit, qui ſuper Saxonia nos tranſmiſit, vbi hic mos ſeruatur, vt cum abundantia hominum excreuerit, totius prouinciæ iuuenes conueniant, ſortes à principibus accepturi, moxque patria egrediantur, aliunde ſibi victum quæſituri. Hac ergo honeſta neceſsitate comprehenſi ſedes quærimus, vbi mortale hoc ſpatium ſolito more peragamus. Si

vero

vero de religione quæritur, noueris nos iuxta morem paternum ſolem adorare. Heu, ait Rex, errorem deteſtor, ſed de aduentu veſtro, & corporum forma plurimum exulto. Diſceptatio mihi grauis eſt cum populo meo, & opus habeo adiutorio alieno. Si igitur placet aduerſarios rebellare, gratiſsimi mihi eritis in ſempiternum. At illi cum audiſſent opinionem belli, promptiores eſſe cœperant, & pro ſuo modulo ſpoponderunt quicquid ſors ſubminiſtraret. Ventum eſt ad conflictum, & victoria competens Saxonibus prouenit inopinata. Commoti Britones agmen grande fecerunt, Saxonibus comminantes, ſeſe (ne à terra recederent) ſtatim virtutem eorum experiri velle. Videntes Saxones ſe numero paucos, aduerſarioſque copioſos, plus ſapientia eos aggredi, quàm fortitudine tentarunt. Habuerunt ergo hanc pulcherrimam orationem ad ipſos. O inclyti Britones cunctis ſeculis ſplendidi. Veſtra nos fama huc attraxit. Nos veſtram Inſulam ingreſsi, nihil niſi quod ho-

neſtum eſt, molimur. Vnicum malum vos moleſtat, noſtræ licet prouinciæ ſterili inauditum, inobedientia videlicet ad principem. Hanc nihil niſi petulantia parturiuit, hanc nihil niſi pauperies extrema abſoluet. Deponite quæſumus ineptum huius propoſitum, & periculoſum conatum veſtrum, & nos in ſeruos ſuſcipite. Si autem quid veſtræ prudentiæ abſonum ſuſpicamur, hoc qualecunque noſtræ ſimplicitatis conſilium abieceritis, & noſtram legalem cõditionem aliqua violenta maculaueritis eiectione, ex tunc ſciatis, quod nos veſtros iam famulos, dehinc autem graues hoſtes, aut perpetuos dominos ſentietis. Sed vti mos eſt nonnullis, nequaquam præbuerunt aurem æquiſsimis conſilijs. Rege igitur contriſtato fideles aduenas plebs indocta fugauit, ſed non ad ſapiẽtiam ſibi. Nam redeuntibus Saxonibus ad ſuos, ſingulaque narrantibus quæ ſibi acciderant, per cunctos grauis indignatio ſuccreuit. Magna proinde fiducia Saxonibus acceſsit, quod Rex Britonum in nullis ſic confideret, vti in ipſis, in quibus

bus omni hora veluti ſuos liberatores & ſponſores anxia mente manebat. Denique conſilium proceribus fuit, vt virginem pulcherrimam Engelam nomine filiam ducis Engariæ(vt quibuſdam placet,regi deſponſandam, à qua tota Inſula ex tunc nomen accepit) comptius ornarent , totiſque viribus adregis iniuriam ac ſuam turpem eiectionem illic vindicandam reuerterentur. Oblata ergo virgine cum robore ducum & militũ caterua,nihil iam ſub cælo Rex tam gratum ſuſcepit.Renata eſt ſponſa fæliciter fonte baptiſmatis, & in cõiugium Regis iuxta magnificentiam principalem aſſumpta. Iam Saxonibus res in animo erat, & confligere fortiter, donec totam inſulam dominio proprio ſubiugarent. Factum eſt ita,&durauit diſsidium iſtud vltra ducentos annos. Tempore enim Sergij Papæ expulſi ſunt Britones de ſedibus ſuis,& cæpit Britannia vocari Inſula Saxonum ad tempus. Præualuit tamen titulus præfatus, ita vt vſq; in præſens vocetur Anglia. Et hoc iam tertio nomen mutauit. Nam primò ſcilicet an-

te tempus Dauid, decebatur Albion. Deinde à Bruto Troiano qui eam bellando cepit, vocata eſt Britannia, nunc vero Anglia dicitur. Hoc idem teſtatur Brutus Grego. qui ſedit circa annos Domini ſexcentos, quoniam occaſione bellorum prædictorũ magna pars Inſulæ eiuſdẽ in idololatriã corruit. Ait enim de incolis eius: Bene Anglici vocati ſunt, quia Angelicos vultus habent. Miſit quoque Auguſtinum cum alijs Sanctis viris ad eos conuertendos, & ſurrexit ſtirps regum ſanctiſsima in Anglia, quę adeo creuit in longinquum, vt nuſquam legerim plures ſanctos reges. Sic duplici gratia Saxones dotati ſunt, vt & temporaliter & ſpiritualiter glorificarentur. Oſuualdus Rex operibus miſericordiæ deditus fuit, de his Iudocus, Elfredus, Elcheſcamus, Edgarus, Eduardus, & alij plures cũ prolibus ſuis. Puto antiquam Saxoniam noſtram. i. VVeſtphaliam, occaſione Britannicorum præliorũ, nobilibus Macedonibus vacuatam eſſe. Et eſt iſta quarta peregrinatio ipſorum famoſa. Nã primo

de

de Macedonia in Aſiam. Secundo de Aſia in Europam Germanicam, id eſt, holſten. Tertio dehinc in VVeſtphaliam. Quarto in Britanniam. Tenuerunt autem ſceptrum Angliæ vſque ad annos Domini, mille & ſeptuaginta, vel circiter, & tũc Guilhelmus comes Normannorum interfecto Araldo regnauit, pro eo. Quod autem nobiles Saxones transfretarunt in Angliam, ex hoc patet, quòd duo filij ducis cum ſorore ſua præfata, aut nepte perrexerunt cum turba illa, & continuè pugnatum fuit per annos plures, contra reges fortiſsimos, & iccirco totum robur prouinciæ illuc concurrit, donec tandem de omnibus triumpharent. Hoc videtur ſentire Beda, qui dicit, quod ante tempus Karoli magni Saxones non habebant regem, vt infra dicetur. Etiam nuſquam legi, quod pòſt vnquam Saxones iſti, ſiue VVeſtphali tali modo per turmas exijſſent de patria, & alibi guerras (vt ſic loquar) concitarent. Hęc igitur aut ſimilia reperi de iſto proceſſu Saxonum ad Angliam, de quibus ſi cui placet, poterit plenius videre in hiſtorijs

Anglicanis. Hæc autem minus exacte à me ſcripta ſunt, ob defectum librorum, prouinciæ noſtræ: ſi quis verò aliter repererit, dignetur, quæ dicta ſunt ad certitudinem hiſtorialem reuocare. Omnia enim hæc ſunt vetera, & de rudibus tẽporibus tractata, in quibus vix pauca audiuimus relatu digna. Sed nunc de certioribus loquamùr, & ad ſalutem magis accommoda.

CAPVT VII.

De quibuſdam virtutibus Saxonum iſtorum.

REfert ſanctus Bonifacius epiſcopus & martyr, qui Germanorum gentẽ ad fidem conuertit, de quibuſdam bonis virtutibus Saxonum antiquorum, & quendam Regem Anglię in quadam epiſtola hortatur, vt exemplo ipſorum ſe corrigat, ſic ſcribens: Domino chariſſimo Echelbardo Bonifacius archiepiſcopus legatus Germanicus Romanæ eccleſiæ perpetuã in Chriſto charitatis ſalutem. Audiuimus te eleemoſynis intentum, furta, & rapinas prohibere, &

pacem

pacem diligere, defenſoremque pauperum & viduarum eſſe, & inde Deo gratias agimus. Quod vero legitimum matrimonium ſpernis, ſi pro caſtitate faceres, eſſet laudabile, ſed quia in luxuria, & adulterio, & cũ ſanctimonialibus voluptates exerces, vituperabiſe eſt & dãnabile. Quapropter fili charisſime pœnitentiam age, & meditare quàm turpe ſit, vt tu qui dono Dei dominaris, ad iniuriam eius, ſis libidinis ſeruus. Audiuimus præterea optimates pene omnes ſordido tuo exemplo legitimas vxores deſerere, & adulteras ſanctimonialeſq; conſtuprare. Quod cum ſit ab honeſtate peregrinum, doceat vos alienæ gentis inſtitutio. Nam in antiqua Saxonia vbi nulla eſt Chriſti cognitio, ſi virgo in paterna domo, vel maritata, ſub coniuge fuerit adulterata, manu propria ſtrangulatam cremant, & ſuper foſſam ſepultæ corruptorem ſuſpendunt aut cingulo: tenus, veſtibus abciſis, flagellant eam caſtæ matronæ, & cultellis pungunt, & de villa in villam ſic miſſæ occurrunt nouę flagellatrices, donec interimant. Si ergo

gentes deum ignorantes zelum caſtimoniæ habent, quid tibi conuenit fili chariſsime, qui chriſtianus es rex? Parce ergo animę tuæ, parce multitudini populi tuo pereuntis exemplo, de cuius animabus rationem redditurus es. Recogita quæſo, quam terribilem vindictã in anteceſſores tuos exercuerit Deus, culpæ (quam in te arguimus) conſcios. Nam Celredum prædeceſſorem tuum ſtupratorem ſanctimonialium, & eccleſiaſticorum priuilegiorum fractorem, ſplendide cum ſuis comitibus epulantem, ſpiritus arripuit malignus, & ſine confeſsione, ac viatico ſalutari, animam extorſit. Nairedum quoque regem Doirorum & Berniciorum, earundem culparũ reum, ita effrenem egit malignus idem ſpiritus, vt regnum & iuuenilem ætatem contemptibili morte amitteret. Obteſtamur & obſecramus te, vt recorderis quam fugitiua ſit præſens vita, & delectatio ſpurcitiæ carnis, per quam æterni cruciatus emuntur, & quam ignominioſum ſit, vt breuis vitæ huius mala exempla in perpetuum poſteris relinquas.

Hæc

Hæc Bonifacius. Ex hoc ſolo vnico ac veridico teſtimonio facile poteſt quiuis animaduertere, quanta diſtrictione cætera vitia apud eos plectebantur, quoniam hoc vnum quod ex ſui lubricitate veniam aliqualem habet, tanta ſolebat vindicari ſeueritate. Huius aliqua veſtigia in quibuſdam caſtis matronis vidi, quæ nedum filias, ſed etiam famulas ſumma diligentia cuſtodiebant, nec eas dormire ſinebant in tali loco, vbi faciliter ad eas acceſſus pateret. Scio quoſdam maiores, filiabus ſuis ita ſeuerum exhibuiſſe vultum quotidie, vt terrorem eis incuterent, ſicque ipſarum caſtam famam zelaſſe, vt in flumen potius eas iactaſſent, quàm conſtuprari permiſiſſent. Sed & virgines ſerioſiſsimæ extiterunt, & ad omnem affatum inhoneſtum ita excandeſcentes, vt Lucretiæ filias putares. Si verò inferioris ſtatus, ſiue puella ſiue famula, in ſtuprum aut adulterium corruiſſet, ſecretó eam virgis, & quidem acerrimè flagellabant, conuicijs, placentiſque

ex putredinibus ouorum factis eos reficientes, ſic autem eas in amaritudinem adduxerant, vt aut mori ſolatium foret, aut poſt primum partũ nullas deinceps proles gignerent. Quæ autem contra amicorum conſilium maritos ducerent, ſic exoſè fiebant, vt ad nuptias ipſarum non ſolum non venire, ſed nec eas quidem inter cognatas recognoſcerent. Frequens apud eos obiurgatio talis habebatur, quando ſcilicet filium aut filiam viderunt infamibus vicijs inclinatos eſſe, his ſcilicet aut ſimilibus verbis comminando. Vis vt te leuem in ſtabulo ſepeliamus? Crebro etiam dixerunt, hoc ſeſe ex antiquorum traditione accepiſſe, qui contumaces proles potius interimerẽt, quàm ſcandalum amicis proueniret intolerabile.

Has comminationes frequenter audiui, ſed tamen vt latius progrediamur, nuſquam id practicatum percepi, quàm aſperè iudicia ſanguinis olim ibi exercebantur. Ex hoc perpendi poteſt, quod aliquando, vtputa tempore anni mei cõtigit. Commotus quidam contra vicinũ ſuum,

ſuum,vt eum trucidaret, togam filio ſuo forte decem annorum tenendam tradidit. Statim pater cum filio capitur, & ad decollandum ambo ducuntur. Sed cum filius adhuc minorennis eſſet, in vinculis ſeruari iuſſus eſt,donec decimũquartum annum compleuiſſet,ac truncari legitimè potuiſſet.

In domo parentum meorum famulus quidam alterius prouinciæ diu fideliter ſeruiens, tandem in crimen furti prolapſus eſt. Conquerentibus autem ſingulis de his que amiſerant,nos pueros, qui de ſcholis longinquis aduentauimus, maximus terror inuaſit.Tandem ego qui ſenior fui,publicè dixi: Vtinam continuet hic furta ſua, ne poſt diſceſſum noſtrum habeamur ſuſpecti.Sed poſt deprehenſus eſt, & vt dignum erat, domo expulſus. Noluit pater noſter familiam ſuam ſcandalizare: verùm cum ſocero meo abſtuliſſet equum, ſuſpenſus fuit. Sic crebro vidi facilimè deprehenſos fuiſſe alienos, & iudicialiter punitos.Erant enim de more, qui ob fidelitatem incolarum res minus diligenter cuſtodi-

direntur. Nam cum domus ipſa & camerę, & ciſtæ, & reliqua pene omnia crebro aperta manerent, raro aliquid perdidimus. Plures etiam ciuitates & villæ, neque patibula, nec rotas, nec huiuſmodi quicquam tormentorum habebant, & rariſsimè ibidem ſanguinis iudicia exercebantur. Nota erat mihi quędam matrona ſenio confracta, quæ dixit ſe audiuiſſe à proauis ſuis, quod tantæ ſimplicitatis communis populus tunc fuerat, quod neque litteris neque ſigillis vterentur, nec talia haberent, ſed ſimplici verbo fiebant omnia abſque pauore. Hæc & ſimilia reor conformia ad ſupra dictum ſancti martyris teſtimonium, quod ſcilicet prior ætas paganorum in moralibus virtutibus, quo ad aliqua, longe præſtantior fuit quibuſdam Chriſtianis, & quod eadem legalitas etiam *de poſt permanſit in eiſdem paganis ad fidem tranſlatis. De his beatus Auguſtin. in libro de ciuitate Dei. plurima pertractat, & Dominus per prophetam crebro conqueritur dicens: Quæ gens egit talia, ſicut populus meus.

Et

Et iterum. Erubeſce Sydon, id eſt anima fidelis, ait mare, id eſt, gentilis populus deum ignorans. Et hæc de prima parte huius operis dicta ſint ſatis. Sequitur nunc de ſecunda.

FINIS LIBRI PRIMI.

R. P.

R. P. VVERNERI ROLEVINCK LARENSIS ORDINIS CARTHVSIANI de ſitu & moribus vveſtphalorum.

LIBER SECVNDVS in quo agitur,

DE CONVERSIONE, DE KArolo Magno, & de primo ingreſſu illius, de Rebellione, de pertinacia VVidekindi, de vltimis bellis, de pace facta, de conuerſione VVidekindi, de inſtructione Epiſcopatuum, de conſummatione, de Canonizatione Karoli, de Inſtitutione LL. VVeſtphalorum.

CAPVT I.

De Conuerſione Saxonum antiquorum ad fidem, & primis prædicatoribus ibidem.

OMNIPOTENS & miſericors deus poſtquam Anglicos ad fidem reuocauit, & quoſdam de antiquis ſaxonibus,

bus, qui inſulam illam obtinuerant, ad magnam ſanctitatẽ ſublimaſſet, inter cętera dona eis inſpirauit, vt patriam ſuā (vnde exierant) gratia ſpiritualis ædificationis viſitare non dubitarent. Venerunt ergo inter cæteros duo ſancti viri ſacerdotali gratia inſigniti, vno nomine nuncupati, vno propoſito & zelo agitati, ſi forte prædicādo aliquid Chriſto acquirere poſſent. Vterque eorum appellabatur Euualdus, vnus niger, alter albus, pro capillorum diuerſitate. Intrantes autem prouinciam, venerunt in quēdam pagum, ſeu villagium quoddam, nunc Laer dictum, vbi honorabiliter ſuſcepti, verbum vitę ſeminarunt, quod velut in terram cadens, bonum vſq; in pręſens fructum facit ſalutis. Ibi etiam miraculis floridi, fontem de rupe traxerũt, cuius hæc, vt aiunt, cauſa fuit. Nam cum ſitirent, cuidam paupercułæ dixerunt, Da nobis bibere: Quæ reſpondens ait. Non habeo domini, & aquæ penuria fatigamur. Qui dixerunt: Deinceps non habebitis aquarum penuriam. Et pungentes rupem baculis ſuis, in diuerſis lo-

cis

cis pulcherrimi fontes eruperunt, quæ in amnem deriuari, nullo eſtatis tépore ceſſant effluere. Campum etiam ſpecioſum & ſpacioſum in vſum pauperum conſecrarunt, qui vſque hodie vocatur ſacrum pratum, in cuius medio prædictus fluuius currens, & oculis delectabile ſpectaculũ, & animalibus ſuaue præbet poculum. Fertur quod diuinitus crebro plagati ſunt, qui arare pratum hoc contra teſtamentum ſanctorum, & in præiudicium pauperculę communitatis attentarunt.

Quidam cum illic aratrum ducere cœpiſſet, mox fulgure corrept⁹ fugit, equis exuſtis. Alter in idem geſtiens, poſtquam tres foſſarum ordines ſcidiſſet, ſanguine vidit repletos. Alius etiam cum arare inciperet, mox ferrum, quo gleba ſcinditur, fractum ſenſit, ſicque cum murmure retro diſceſsit. Seruatur proinde vſque in præſens veneratio ſanctorum martyrum ibidem, & vulgares eos nominant Dominos de prato. Auia mea referre ſolebat, ſe à ſuis progenitoribus audiuiſſe, quod quicunque rapinam tolleret

à prato

à prato iſto, ipſum eodem oportere anno mala morte vitam finire. Idipſum aliquando experta etiam ipſa teſtabatur.

Quodam autem tempore ſupremus conſiliarius principis potens & diues, & militaris, genere in multis commendabilis, cum in hoc diſfortunium incidiſſet, vt ſacrum pratum dehoneſtaret, per rapinam eodem anno ſub ſpecie iuſticiæ homicidium perpetrans, decapitatus fuit. Hoc factum ita mirabile putabatur, vt cum prædicta mulier & alij ſimplices hoc audirent, pleno ore dicerent, quod Domini de ſacro prato ſe apertè vindicaſſent. Non enim ſuſpicabantur hoc contingere potuiſſe tanto viro. Multa etiam Princeps cum amicis eius fecit pro liberatione ipſius, & aliquando clam adiutus carcere erupit, ſed nihilominus iterum captus fuit, & morte plexus.

Ante aliquot annos cum alterius terræ Princeps quidam tempore publici belli rapinam illic faceret, contradicẽtibus ſibi nobilibus, qui mores illius prati nouerant, ſtatim poſt tres ſeptima-

nas captus fuit, & illi miro quodam Dei miraculo præſeruati erant.

Alter quidam domicellus ſciens huiuſmodi, idipſum fecit, qui eodem anno in furiam verſus, manus comedendo expirauit. Duo alij ſocij ſimiliter agentes, vnus cum quodam cominus pugnans, vulneratus occubuit: alter per feneſtrã ad concubinam aſcendens, proprio pugione mirabiliter irretitus gulam fregit, ſuſpenſus ad parietem, inter cælum & terram. Hæc & ſimilia glorioſam memoriam apoſtolorum noſtrorũ, ſcilicet ſanctorum Euualdorum commendant, ac quãti meriti apud Deum ſint deuotis incolis, arctius ipſorum mẽtibus repræſentarent.

Sed nunc de ipſorum vlteriori legatione, ſimulque ſancta prædicatione dicendum reſtat. Progreſsi igitur ſancti per vicina loca, tandem vltra VVeſeram venerunt, vbi hoſpitium cuiuſdam villici intrantes, rogarunt vt tranſmitterẽtur ad Satrapam ob negotium quoddam ſibi præferendum. Et quemadmodum venerabilis Beda ait, antiqui Saxones regem

gem non habebant, ſed ſatrapas plurimos ſuæ genti propoſitos. Qui ingruente belli articulo, miſerũt æqualiter ſortes, & quemcunque ſors oſtendiſſet, hũc tempore belli omnes ſequebantur, & huic optemperabant. Peracto autem bello rurſum equales poteſtate omnes erãt ſatrapæ, ſuſcepit ergo eos villicus & promiſit ſe mittere eos velle ad ſatrapã. Sed vicini eos chriſtianos eſſe cognoſcentes ſubito rapuerunt, & atrociter occidentes in fluuium proiecerunt. Satrapa autem hec audiens, miſit ad interficiendum vicanos illos, & vicum ſuccendit. Actum eſt martyrium hoc circa annum Domini ſeptingenteſimum die tertio menſis octobris, in diœceſi Breméſi, comitatuque Hoyenſi. Alij dicunt quod magis eſt veriſimile, quod in quodam loco, qui nunc dicitur Appellerbeke prope Tremoniam, huiuſmodi martyrium ſit celebratum. Et ibi memoria eorum ſolennis eſt, & miracula ibidem facta referuntur. Poteſt dici pro concordia, horum, quod in Hoyenſi comitatu fuerunt lethaliter vulnerati, ſed tamen re-

conualuerunt. Et tandem in Appellerbeke, dum à prædicatione non ceſſarent, quantotius interfecti fuerunt. In hunc modum multæ legendæ ſanctorum concordatæ ſunt. Et ſic poteſt ſaluari ſolemnis memoria, quæ in præfatis locis æque conſtanter prædicatur. Corpora vero ſanctorum Euualdorum tranſlata miraculosè fuerunt ad Coloniam, & in eccleſia ſancti Cuniberti venerabiliter condita.

Hæc eſt prima legatio ſpiritus ſancti ſolemnis ad Saxones conuertendos. Verum de iſto termino, quo ad hanc prouinciam, nihil alibi reperi, nec aliquod veſtigium in patria remanſit, ſicut communiter fieri ſolet. Puto igitur quod Beda iuxta morem ſacræ ſcripturæ hoc termino vſus fuerit, ſemper quod dicuntur quinque ſatrapæ Philiſtinorum, iuxta numerum quinq; ciuitatum illius gentis, non curans de titulis maiorum, qui Romano idiomate rectoribus huius prouinciæ & quarundam aliarum tranſ-Alpinenſium impoſiti creduntur. Dicit enim beatus Auguſtinus de ciui. Dei

quod

quod Romani non ſolum ſuam potentiam & ſuas leges, ſed etiam ſuum idioma cunctis gentibus imponere decreuerant, preſertim quo ad vocabula officiorum publicorum & ciuitatum principalium, quarum plurimæ perſeuerant vſque in præſens. Et Latinam ſiue Romanã linguam per has occiduas partes diſperſam videmus, & in diuinis ſcripturis atque officijs, & negocijs primatum adhuc tenere.

Secunda legatio fuit non longe poſt facta per ſanctum Lebuinum, qui etiam Anglicus natione, monitu ſaluatoris ad ſanctum Gregorium Traiectenſem epiſcopum peruenit. Cum verò narraſſet, quæ ſibi dominus iuſſerat, dedit ei comitem Marcellinum diſcipulum ſancti vvillibrordi, Veluamque & cæteras partes, iſte cõmiſit ei conuertendas. Ibat quoque aliquot vicibus, per Saxoniam, quærens quos poſſet Chriſto acquirere. Ceperũt ergo quidã credere, & antiquũ ritũ abijcere. Alij vero perſequi & eccleſias eius cõburere, Chriſtianoſq; abigere dicẽtes, Fantaſma iſtud per prouinciam

diſcurrit fabulando, atque incantando multos infatuat. Vtinam appræhenderetur, Verum autem, vt ante dictum eſt, regem antiqui Saxones non habebant, ſed per pagos ſatrapas conſtitutos: moriſque erat, vt ſemel in anno generale concilium agerent, in media Saxonia, iuxta fluuium VVeſeram, ad locum qui dicitur Marcklo. Solebant ibi omnes in vnum ſatrapæ conuenire, ex pagis quoque ſingulis duodecim electi nobiles, totidemque liberi, & totidem laici. Renouabant ibi leges, præcipuas cauſas adiudicabant, & quid per annum eſſent acturi, ſiue in bello, ſine in pace, communi decreto ſtatuebant. Vnde verſus.

Quot pagos tot pene duces, velut vnius artus
Corporis, in diuerſa forent hinc inde reuulſi,
Sed generalis habet populos diuiſio ternos,
Inſignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua receſſit.

Diſpoſita ergo concione, ſubito beatus Lebuinus in medio ſtetit dicens: Audite, audite Dei omnipotentis

ſum

ſum nuncius, mandatum eius vobis fero. Si volueritis fidem acceptare, tanta vobis bona præſtabit, quanta nunquam ante audiſtis. Et ſicut hucuſque ſuper vos regem non habuiſtis, ita non erit rex, qui contra vos præualere poſsit, & ſibi ſubijcere. Quòd ſi nolueritis, ſcitote quòd præparatus eſt in vicina terra rex, qui bellis vos fatigabit, & in exilium mittet, occidet etiam, & hæreditates veſtras quibus voluerit tradet, ſubijcietq́; vos ſibi, ac poſteris ſuis. At illi eleuato clamore dixerunt: Capite eum, capite & lapidate. Dominus autem abſcondit eũ, ne videretur ab eis. Tunc indignati ſapientiores iniquum factum condemnabãt. Quidam autem concionator Bucco dictus, conſcendens truncum arboris ſic clamabat: Audite quæ dico & iudicate. Nortmanni vel Sclaui, Friſones quoque, ſeu cuiuſlibet gentis homines, ſi quando ad nos mittunt nuncios, cum pace eos ſuſcipimus, & modeſte audimus. Dei autem nuncius nunc ad nos venit, & ecce quibus eum inſectamur iniurijs? Credite ergo quia tam vera dixit, quam facile

licet ſanctus Bonifacius præfatus, qui poſt in Friſia cum multis alijs martyriũ conſummauit. Item ſanctus Gregorius epiſcopus Traiectẽſis. Albericus, VVulffrannus, VVillibrordus, VVerenfredus, Ludgerus, cæterique ſancti antiſtites, cũ ſuis coadiutoribus circũcirca commorantes, & ſe mutuo ad apoſtolatum hũc cohortantes ac adiuuãtes. Ex quibus apparet quam ſimilis erat politia huius gentis ad regimen Romanorum, de quo in primo libro Machabæorum, capitulo 8. ſic legitur, Audiuit Iudas nomen Romanorũ quòd eſſent potẽtes viribus, & prælia eorum, & virtutes bonas, quas facerent cum amicis ſuis. Et in quibus iſtis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura vt magnificaretur in ea. Et qui curiam fecerunt ſibi, & quotidie cõſulebant, CCC.XX. conſilium agentes de multitudine, vt ea agerent, quæ digna factu viderentur, committentes vni homini magiſtratum ſuum, & per ſingulos annos dominari vniuerſæ terræ ſuæ, vt omnes obedirent vni, & non eſſet inuidia, neque zelus inter eos. &c.

Alibi quoque legitur, quod mos eorum erat communiſsimus, vt inſtante articulo belli ducem eligerent, qui exercitum cum auctoritate ordinaret, & de his quę neceſſaria viderentur imperaret. Completo autem bello ſi bene ſe habuiſſet, honorabiliter recipiebatur, & poſt inclamationes fauſtas & ceremonias conſuetas ad priſtinũ reuertebatur ſtatum, nec quicquam vltra de principatu, niſi denuo per communitatem vocatus, ſe intromiſit. Hoc regimine politico in immenſum Reſpublica creuit, & vſque in longinquum optime conſeruabatur. Nõ memini me legiſſe prouinciam aliquam obſeruaſſe huiuſmodi Romanum regimen ſic in longinquum, ſicut iſtam antiquam Saxoniam, quæ ſemper in ſuo propoſito dura & conſtans fuit, quaſi iuſtè diuina ordinatio ei ſaxeum nomen tribuiſſet, pro eo quo ſaxum difficile cauatur, & quod ſemel inſculpitur pertincaiſsime retineat.

CAPVT II.

De Carolo magno & Pipino eius patre, & aliſs qui hanc terram armis ceperunt, & fidei ſubdiderunt.

TAndem diuina bonitas, quæ humano generi ſemper miſereri potius eligit, quam iraſci, poſtquam vidit duritiam Saxonum per ſimplicem prædicationem & miraculorum choruſcationē emolliri non poſſe, aptauit prouidentiæ ſuæ fortiſsimos reges, & principes, qui gentem hanc, vt vitrum contererent, donec ad cor rediret, ac ſuæ infidelitatis inſaniam abijceret. Fuere inter eos præcipui, Pipinus videlicet Rex Francorum & Carolus filius eius, qui dictus eſt magnus, tum propter egregiam magnitudinem corporis, tum propter excellentem magnitudinem factorum. Nihil enim in eo mediocre legimus. Hi videntes Saxones eſſe inconuertibiles, & Chriſtianis plurimas moleſtias inſerentes, diuino freti auxilio, quaſi pluribus iniurijs prouocati arma corripiunt, & terram ipſo-

rum animoſè inuadunt. Surgunt bella cruentiſsima & hoſtis hoſti occurrens, per triginta tres annos neque pax neque ſalus aut quies inconcuſſa cuique prouenit. Ita dubie pugnatum eſt, vt horribiliora bella nunquam Carolus totius pene Europæ domitor expertus fuerit, quàm cum Saxonibus. Igitur ſcripturus de inclyto magni Caroli triumpho, primum ordinatè incumbit oſtendere fortitudinem & multitudinem aduerſariorum, quoniam ſublimi oratore, teſte Ioſepho, nullus vnquam præclaras laudes promeruit, qui paucos & debiles ſuperauit. Refert proinde orator quidam notabilis de gente Saxonum, dicens: Saxonica gens longe maxima erat, ac etiam bellicoſiſsima pene Germanorum omnium. Hi falſos colentes deos cū neq; diuini neq; humani iuris quicquā penſi haberent, nihil æque vt religionem noſtrā hominesq; ei deditos oderant. Proximi erant Francis, cum quibus continuè bella gerebant. Sæpe prælijs victi, conditiones acceperant, obſides dederant, ſed

nondum apud Francos erat inuentus, qui domita penitus eorum perfidia pleniſsimam eſſet victoriam conſecutus. Hæc palma, cùm Carolo magno quaſi diuino numine reſeruata videretur, non ſolum conſilio principes, ſed paſsim omnes clamoribus hoc egerunt, vt aduerſus perpetuos Francorum hoſtes toties viribus arma ſumerentur. Carolus verò tempus veniſſe ratus, in quo non modo barbarorum hominum audaciam frangere, ſed etiam eorum regnum, quod multo ante animo agitauerat, funditus euertere poſſet, ingentem exercitum parat, diem dicit, qua prope ripam fluminis Rheniones conueniant. Nunquam alias maiori alacritate contentioneque animorum ſuſcepta Francis expeditio eſt. Hinc odium gentis, hinc ſpes bene gerendæ rei animum excitat, ſed ſuper omnia ſtudium auget præſentia Regis. Has ſpes, cogitationes quoque ſecum portantes in hoſtilem agrum ducuntur. Sic igitur renouatum eſt cum Saxonibus bellum, quo nec maius vllum, nec

grauius diuturniuſque à Carolo geſtum, comperio. Tres enim & triginta annos cum ferociſsimis gentibus certatum cóſtat, pluſque eo bello quam reliquis omnibus detrimenti acceptum, interéptis pleriſque fortiſsimis viris, qui diu ſub confidentia Caroli, egregiam operam nauando meruerant. Saxones hoc tempore multoties ſuperati, obſides dabát & imperata ſe facturos pollicebantur, nec multo poſt recuperatis viribus, maius quam antea bellum ciebant, vt facile appareret homines feros, quod ſibi perſuaſiſſent cæteris alijs virtute præſtare, paratos eſſe, vltimas etiam vires experiri, antequam armis Francorum aut cuiuſque alterius gentis potentiæ cederent. Factum eſt tamen ſumma virtute & incredibili conſtantia Caroli, vt nunquã illi defecerint, quin confeſtim debitas pœnas ſuæ perfidiæ dederint. Euerſæ domus, diſsipatæ fortunæ, liberi in ſeruitutem tracti, omnibus documento fuere, nullum in falſis dijs præſidium eſſe. Hæc ille. De maximis quoque periculis vnum tangit. Turpinus archiepiſcopus

Rhe-

Rhemenſis, dicens inter cætera, quod dū Carolus in quadā ciuitate à tribus regibus, ſcilicet Saxonū, Friſonum, & VVandalorum, cum exercitibus maximis teneretur obſeſſus, mandauit Rotolando filio ſororis ſuæ, vt ſibi cito ſuccurreret, & eum à paganis liberaret. Erat tunc idē graui in perplexitate, vrbem Gratianopolim obſidens, quam ſeptēnio iam circumdiderat. Sed Dominum obſecrans, triduano ieiunio maceratus, vt vrbem euerteret, exauditus eſt, & ſic ad Theutoniam pro liberando auunculo ſecurus iuit, ipſumque fugata obſidione reduxit. Fertur quoque cum aliquando ab hoſtibus grauiter infeſtaretur, & fugam legitimè pro ſaluatione ſua & exercitus peteret, vt nonnulli reſiſtentes dicerent, quod turpem rem faceret fugiendo, ille penitus non acquieuit, ſed ilico reſpondit: Melius eſt, vt dicatur, Carolus fugatus eſt, quam Carolus occiſus eſt. Sicque exercitu per amnem traducto euaſit, & vocatur locus ille vſq; hodie, Frankenuuerde. Dicitur quod in memoriam illius nobilis fugæ fabricata ſit ibi ciuitas

illa & in oppoſito eius Saſſenhauſen.
Debet enim vir fortis quandoque de campo fugere, prout ratio loci & temporis poſtulat, & non in vilem mortẽ Deum tentando ſe proſternere, quin potius ad vtiliora, & vitam & robur, conſeruare. Hæc & alia multa ſecundum ius militare perpeſſus eſt, ſacratiſsimus princeps, quæ tamen iuxta morem ſcribentium ex magna parte ſubticentur, ne non gloriam victoris, ſed diffortunia bellatoris commemoraſſe videantur. Sed qui Dei gloriam potius quęrunt quã hominum, illa non omittunt, quæ ad ipſam dilatandam deſeruiunt. Hæc breuiter ſic tacta ſint in generali, vt ſciamus, victoriam hanc inſuſpicabilem, & à primis diebus vſque ad hoc tẽpus dilatam, diuinitus potius datã, quàm humanitus acquiſitam. Sed nunc ad narrationem in ſpeciali accedamus, illis dimiſsis quæ ſeculari more non intuitu fidei ante Carolum facta leguntur, ſed pro terrenis principatibus dilatandis.

CAPVT III.

De primo ingreſſu Caroli in Saxoniam.

ANno igitur Domini ſeptingēteſimo ſeptuageſimo, cœpit Carolus poſt mortem fratris ſui, ſolus regnare in Frācia, annos natus vigintiquatuor, adoleſſcens egregiæ indolis, qui ob magnitudinem factorum, & corporis elegantiā, præcellentiamq́, virtutis, dictus eſt magnus. Hic miles in domino feliciſsimus, & princeps Chriſtianæ plebis ſereniſsimus, tantam omnium gratiarum eſt conſecutus exuberantiam, vt nemo vitam eius nequeat abſque voluptate ſpiritali ac omni oblectatione intueri. Omnium enim virtutum ornamēta, cunctaque bona quæ ab hominibus expeti ſolent, & ſupremos principes decēt, cū titulo ſanctitatis fauorabiliter poſſedit. Nā in nobiliſsima eſt patria, ampliſsimo genere, clariſsimus parētibus ortus, ex Romanorum, Græcorum, Francorum, Alemannorum, Illuſtriſsimum ſanguinem trahens. Non ei valitudo corporis defuit, non pulchritudo, non robur, non magnitudo

animi,ſapientia,iuſtitia,probitas, fides, amicitia,clementia,religio,aliaque permulta laude dignißima in eo modum exceſſerant. Quid amplius? Si Tullius ſublimiter extulit,Decios,Fabios,Regulos, Marcellos, Scipiones,alioſq; quam plures, eoſq; diuinis laudibus proſecutus eſt,quid nobis de Carolo dicẽdũ erit, qui nõ pro vna Republica,aut gloria populi Romani,ſed pro communi libertate omnium Chriſtianorum ſemper bella ſuſcepit, & quotidiè animam ſuam in manibus ponens, prope quinquaginta annos cum hoſtibus decertauit. Accedit ad hoc inauditum Apoſtolice dignitatis faſtigium, ac ſacræ fidei fertilitas, quoniam non pauciores ad Catholicam adduxit Eccleſiam materiali gladio populos, quam olim Apoſtolorum aliquis gladio ſpiritali. Et vt hoc probemus, à noſtra Saxonia exordium ſuſcipiamus, quam iuuenilibus adhuc in annis conſtitutus,ad fidem traxit.

Anno ſiquidem ſecundo regni ſui qui eſt Chriſti. CCCCCCC. LXXI. agens viceſimum quintum annum ætatis pro-

priæ prudentum morem imitando, vt
nihil temere videretur attentare, apud
VVormaciam ſynodum iuſsit celebra-
ri, vbi de negocijs opportunis matura fi-
eret deliberatio, ac contra Saxones apta
& induſtrioſa expeditio. Sequenti anno,
inde magno ſtipatus exercitu, Saxoniam
potenter ingreditur, & multa vi inſi-
ſtés, cepit Ariſburgum, vulgariter Merſ-
borch dictum, id eſt, caſtrum Martis. Et
Hermeſuel vſque peruenit, quod inter-
pretatur ſtatua Hermetis, & ipſum fa-
num deſtruxit, & argentum & aurum
quod ibi repperit copioſum abſtulit.
Hoc in chronicis Gregorij Turonenſis
habetur, quod etiam teſtatur Dominus
Iohannes de Eſſendia ſacræ Theologiæ
profeſſor, & frater Hermannus de Her-
uordia ordinis prędicatorũ qui hanc ex-
expeditionem diligenter proſequuntur.
Et hos prout in plurimum ſequor.

Aduerte quę loca principalioris pro-
uinciæ à dijs nominabantur, quorum
plurima permanent vſque in præſens &
antiquum vocabulum retinent. Erant
autem in ſtatua prædicta Hermeſuel,
oua-

quatuor imagines ſculptæ, ſcilicet Martis, Mercurij, Herculis, & Apollinis: ſed tamen à Marte tanquam principaliori denominabatur locus. Hoc erat vaſtiſsimum Idolum totius Saxoniæ, quod prudenti vſus conſilio, Carolus primum aggreſſus eſt, vt illo deſtructo citius prouinciales ab idololatria animum reuocarent. Mira dicuntur de fortitudine illius loci, & de ſtructura & columnarum pulchritudine, atque decore illius phani.

Inſigne namque Saxonum, erat Leo, Draco, & Aquila deſuper volitans, ad oſtendendum in eis fortitudinem, prudẽtiam & inuicti animi conſtantiam. Sed cum ſic glorioſi eſſent ſecundum ſtatum ſecularem, non intellexerunt quam ignobilem paterentur ſeruitutem, dæmonum ritus obſeruando, nec vllis ſanis conſilijs acquieſcendo. Oportuit ergo per viam aliam, hoc eſt, per potentiam armorum duriſsimæ ceruicis pertinaciam caſtigare, donec vexatio tribueret intellectum auditui. Piè creditur, vt dictum eſt, quòd diuina bonitas quæ humano

mano generi ſemper miſereri potius eligit quam iraſci,poſtquam vidit duritiam Saxonum per ſimplicem prædicationem & miraculorum choruſcationem molliri non poſſe, aptauit prouidentiæ ſuæ fortiſsimos reges ac principes, qui gentē hanc vt vitrum contererēt, donec ad cor rediret,& ſuę infidelitatis inſaniam abijceret.

Aut forte ſi omnino conuerti nollent, penitus interirent, ac aliorum ſalutem vltra non impedirent. Quod ita factum conſtat. Nam deletis aut fugatis rebellibus, optime fides fundata ibi creuit, & vſque in præſens (de quo gloria immortali deo) ſtabiliter perſeuerauit.

Vt autem Dominus manifeſtaret, quam grata ſibi hæc expeditio foret,miraculum glorioſum oſtendit in exordio pugnæ,quod hoc ordine factum eſt.Nam cum Rex ſtaret per aliquot dies in obſidione præfati loci munitiſsimi, euenit vt propter æſtatis feruorem aquæ deficerent, & exercitus in ſummo periculo eſſet. Sed diuina fauente clementia

mili

militibus ſuis chriſtus prouidit, & in clara die cunctis ex more circa meridie quieſcentibus, fons erupit ignorantibus vniuerſis, & aquæ largiſsime effuſæ ſunt ad omnem ſufficientiam. Durabat quoque ad triduum, quouſque phanum funditus deſtrueretur. Cepit deinde caſtrũ Siburch, ſupra fluuium Rurçſitum prope Tremoniam, & Francis vtrobique poſitis, venit ad VVeſeram & fœdere inito cum Saxonibus, obſides, 12. recepit. Sic intermiſſum eſt bellum Saxonicum ad tempus, primo congreſſu Domino largiente fidelibus inclytam victoriam. Maxima enim ſtrages Saxonum facta erat, antequam caſtra deijcerentur. Proceſsit ex tunc rex ad Italiam contra Deſiderium regem, anno CCCCCCC.LXXIII. & potito triumpho eccleſiam & Adrianum Papam magnificè liberauit.

CA-

CAPVT VI.

De rebellione Saxonum.

SAxones ſic ſuperati primo congreſſu à Francis doluerunt nimis, ac comperto quod Carolus diſceſsiſſet in longinquam regionem, congregatis agminibus ſuis, Siborch recuperant, occiſiſq; Francis, caſtrum deſtruxerunt. Deinde ad Merſborch properantes, illud oppugant, ſicque ad fines Haſsiæ venientes, illam prædantur, & flãmis cuncta ſuccendunt. Veruntamen iterum oſtendit ibi gratiam ſuam Dominus, quia cum veniſſent ad Frideſſariam, & incendere vellent eccleſiam, quam ſanctus Bonifacius illic conſecrauerat, omnino nequiuerant, quin potius graui timore diuinitus perculſi, turpiter vniuerſi fugerunt, nullo perſequente.

Culpantur hic Saxones de fracta fide, ſed aliqualiter videntur, excuſandi illi, quia Carolo iam homagiũ præſtiterant. Cuius ratio aſsignatur, quia prouincia nimis

nimis magna erat, videlicet à Rheno vſque ad VVeſeram, & conſequēter à VVeſera vſque ad Elbiam. & confines videlicet VVandali, & Daci, cæteriq́ue infideles, Normanni, Friſones cum ſuis, auxilium præſtabant Saxonibus. Ipſa quoq; Saxonia non erat vnita ſub vno rege, ſed habebat tot duces, quot pagos, & vno ſuperato, alius reclamabat aut fugiebat ad vicinos, recedenteq́ue Carolo redibat cum exercitu oppugnans vicinum, donec acquieſcerent ſibi, ſicut olim Gaboanitis contigit, Ioſue X. Hunc modum dicunt habuiſſe Oſtphalos, id eſt, Orientales Saxones, qui tranſmiſſa VVeſera VVeſtphalos Carolo ſubiectos ex parte inuaſerunt, & iterum Karolo redeunte, fugerunt, & hoc colludio diſceptatio in longinquum proceſsit. Ait enim præfatus doctor Ioannes, quod Oſtphali totiens iteratæ rebellionis cauſa extiterunt, VVeſtphalis perſuadentes minis vel promiſsis rebellionem. Vnde dicitur in hiſtoria metrica Caroli de eis: Sed varijs diuiſa modis plebs omnis,

habe-

habebat. Quot pagos, tot pene duces &c. vt ſupra dictum eſt.

Aduerte hic caſum ſingularem, in quo regnum in ſe diuiſum diutius tenuit robur contra hoſtes. Nam ſi habuiſſet Saxonia vnum regen ſupra ſe, facilius obtinuiſſet Carolus victoriam, quia vno ſuperato, omnes quietè inijſſent fœdus cum eo. Excuſandi ſunt ergo VVeſtphali à phalia francice, quod eſt fallacia, latine, quia phalos, idem eſt, quod ſocius. Vnde dicebantur olim ephalar, VVeſtphalar, Oſtphalar, & ſic de alijs. Ad propoſitum redeundo, poteſt dici quod terra Saxoniæ hoc tempore iuxta morem prouinciarum habuit aliquos bonæ voluntatis homines qui fauebant fidei, alios vero rebelles qui paulatim exterminati fuerunt.

Et hoc quod iam dictum eſt de prima rebellione, contigit Anno Domini. CCCCCCC. LXXIIII. cum Carolus reuertebatur, ex Italia. Venit autem ad locum dictum Ingeleym in Diœceſi Moguntina vbi comperta Saxo-

num

num rebellione, miſit contra eos quatuor ſcaras, id eſt turmas pugnatorum, quarum tres collata acie dimicarunt cum aduerſarijs & triumpharunt. Quarta cũ non inueniret apparatum certandi, redijt cum præda magna. Poſt hæc anno. CCCCCCC. LXXV. Carolus conſilium habuit in villa, quæ dicitur Duria, vbi omnium ſentẽtia fuit, ne requies vlla daretur Saxonibus, donec aut fidem reciperet, aut penitus deficeret. Intrans ergo iterum cum graui multitudine Saxoniam, caſtrum Siborch reædificat, & ad VVeſeram properat, vbi Saxones diſpoſuerant bellum gerere, in loco dicto Brunesborch. Habuerunt autem cautelã vt vadum præoccuparent, ne rex tranſiret fluuium, intrando, ſcilicet Oſtſaxoniam. Commiſſum eſt bellũ, & Saxones multi fugati, alij occiſi, & fideles ambas ripas obtinuerunt. Diuidens autem Rex exercitum hinc & inde, dimidiam partẽ ibi reliquit, & cum reliquis ad Brunſwich diuertit, vbi ſuper fluuium Anaker celerius venientes, Auſtrelyndi Saxones cum ſuo capitaneo, ſe ſpontanee

ſub

ſubdiderunt legi, datis obſidibus ad placitum. Interim Saxones bellum mouerunt contra reelectos ſuper VVeſeram, In Lubeka diœceſis Myndenſis, & ſuperati ſunt. Veruntamen quidam de Frãcis doloſe interfecti fuerant. Nam cum vellent equis afferre pabula, miſcuerunt ſe Saxones quaſi fideles adiutores, & ſic intrãtes pariter in caſtra, dormientes Francos, trucidarunt quam plurimos, donec cæteri excitati, propellerent eos. Rediens quoque Rex furore ſuccenſus, ſtragem magnam fecit, & prędam tulit, & VVeſphali obſides dederunt. Angarij fecerunt ſicut Auſtraſij, in pago qui dicitur Buda, & Bruno cum optimatibus ſuis obſides dederat. His peractis Rex in Franciam reuertitur, & deinde ad Italiam peruenit, vbi pacta victoria cum rediſſet, venit nuncius dicens, Saxones ſacramenta violaſſe, & fidem irritam feciſſe, Inſuper doloſe Mersborch cepiſſe, Francos occidiſſe, & caſtrum penitus deſtruxiſſe. Syborch etiam animoſè oppugnare cœperant, ſed iuuante Domino fidelibus ſuis, fugati ſunt vſque ad

 fluuium

fluuium Lyppiam. Ilis auditis Rex conſiliũ celeriter cõuenit VVormaciæ, Anno. CCCCCCC.LXXVI. & tanquã tempeſtas quædam Saxoniam introiuit, venitque in locum qui dicitur Lyppenſprunck, vbi multitudo confluxerat, quæ tota ſupplices manus dedit, & Baptiſma petijt. Pius autem Rex flexus ignouit illis, & iuſsit baptizari eos, caſtrum Merſborch iterum reædificat, aliudq; etiam ſuper Lyppiam dictum Vechtelere, vbi poſitis cuſtodibus, reuertitur in Franciam, & Paſcha celebrauit in Nouomagio. Exinde anno ſequenti. *CCCCCCC. LXXVII.* cum graui turba reuertitur in Saxoniam ad locum qui dicitur Padeborne, quo conuenerunt ad primum conſilium celebrandum omnes Franci ex cũctis partibus Saxoniæ, vnà cum Saxonibus multitudo non pauca, quæ ibi baptizata eſt.

Promittunt ibi fidem ſe ſeruaturos ſub pœna amiſsionis libertatis & bonorum omnium.

CAPVT

CAPVT. V.

De pertinacia & prælijs VVedekyni.

VEruntamen adhuc pleriq́ue remanſerunt duræ ceruicis increduli, quorum principalis capitaneus erat quidam vir nobilis & fortis, dictus VVedekynus, quem quidam nominabant regem, alij ducem, filium Gigantem robuſtum. Dani quoq; vulgariter vocant eum vſque hodie, Konynck VVedekyn, vvernikens ſon, id eſt, Regem VVedekynum VVernikyni. Sed in hoc ſtandum eſt potius Bedæ, qui vnus de ſatrapis fuit, quē ſors ad regendum exercitum acciuit. Quia vero in longinquum proceſsit concertatio, & inſuſpicabili animoſitate Francorum pr̨ępediuit triūphos. Ideò fama nominis eius præ cæteris excreuit in orbe. Hunc non reperitur aliquando fregiſſe promiſſum, ſed vſque ad extremum fugiſſe deditionem, & pertinaciſſimè ſemper reſtitiſſe. Nam ad conſilium Padebornenſe noluit accedere.

Anno interea, CCCCCCC. LXXVIII.

Saxones prope Bocholdiam caſtra poſuerunt, volentes impedire regem. Sed Rex ſuo more confidenter occurrit eis, & commiſſa eſt pugna grauis, & triumphans obtinuit campũ, & Saxones fugientes, omnes ſuas firmitates reliquerũt. Vnde fidelibus militibus Chriſti aperta eſt via in VVeſtphaliam, & Rex omnes ſubiungauit ſibi, exceptis illis qui fugerant vltra VVeſeram.

Aduerte quod hic primũ fit mẽtio de illa parte VVeſtphalię in qua eſt diœceſis Monaſterienſis, quæ ſtatim ſe ſubdidit fidei, nec legitur rebellaſſe. Erat enim vicina terris Chriſtianorũ, & veriſimiliter iam ibi plures Chriſtiani facti fuerant. Rex vero tranſiuit vſque ad VVeſeram, vbi ad eum venerunt de Angaria, & Oſtphalia, fidem promittentes ſub iuramento, datis etiam obſidibus.

His peractis Rex VVormaciam properat, & denuo rediens venit ad Mersborch, & deinde ad Lyppenſpruck, pro congregando concilio ad diſponendam prouinciam ſecundum ritũ Eccleſię catholicæ. Proceſsit etiam latius ad Albi-

am in locum qui dicitur Bardewyck/& multitudo magna Sclauorum, VVyudorum, Friſonum, baptizata eſt, diuiſitque terram & poſuit illic epiſcopos, Presbyteros, & Abbates, vt Neophytos in fide confirmarent.

Anno, *ccccccc. LXXVIII.* Carolus, Romam deuotionis gratia ſolenniter iuit, & glorioſè ab Adriano Papa ſuſceptus, rebuſque cunctis proſpere peractis, reuerſus eſt in Franciam. Interim abſente Rege motus magnus factus eſt in Saxonia. Nam VVedekynus congregans quos poterat in loco, vbi Haſa fluit circa Oſnabergæ oppidum, inſidias plus ex animi ferocitate quam virtutis potentia moliebatur. Quo Rex comperto venit ad campum, & intelligens cecidiſſe in priori bello de Francis plures, alioſque adhuc ægros ex vulneribus receptis, ſubito nouum exercitum recuperans, congreſſus eſt; & fugatis, cæſis, captiſque Saxonibus, omnem terram eorum depopulabatur vſque ad Albiam. Quibus feliciter geſtis redijt ad Franciam, & ſequenti Anno. *ccccccc. LXXXI.*

ƚXXXI. venit iterum ed Lippenſprunck/ diſponens negotia prouinciæ, præſentibus ibi vniuerſis optimatibus & ſatrapis, ſolo VVedekyno excepto cum ſuis. Ibi conſtituit pro Saxonia adminiſtranda comites ex nobiliſsimis de genere Saxonum. Venerunt quoque ad ſynodum legati de Dacia, de Normania, Vngaria, & alij pro pace petenda, quos benignè Rex ſuſcipiens cū gratia remiſit, & ipſe in Franciam regreditur.

Sed hoc VVedekynus percipiēs, auxilia Normanorum aduocans, reuertitur ad Saxones, multoſque ad ſe alliciens fecit nouum conſurgere bellum. Sclaui quoque manum validam educentes audacter fines Saxonum ac Thuringorum inuadunt cuncta vaſtantes. Contra hos miſit Rex tres comites Palatinos, qui vocabantur Adalgiſus, Gilo, VVarandus, vt mouerent exercitum Francorum & Saxonum ſuper Sclauos, paucos adhuc rebelles. Sed in via, cum audiſſent VVedekynum noua moliri, ſtatuerunt inconſulto illum debellare

primum, confiſi de multitudine exercituum ſuorum, nuſquã recordantes aſtutias & deſperationem viri, qui pro vindicta minacem gerebat animum. Concurrentibus igitur aduerſarijs in loco dicitur Sonnendaill, id eſt, vallis ſolis, atrox conſeritur pugna in conuallibus VVeſerę Myndam reſpiciẽtibus. Et quia duces parui pendebant agmen inuadere deſperatum, arbitrantes ſe ad prædã, non ad bellum ituros, fortiter illi congreſsi ſunt, & male pugnatũ eſt ab vtraque parte. Nam Francorum proceres viginti duo præclari omnes, illi ſcilicet Adalgiſus & Gilo cum exercitu pene toto ceciderunt, paucis exceptis, qui ſyluas & montes expetierunt, VVedekynus quoque tot amiſit, vt Francis victoria proueniret, licet ſatis (vt ſic loquar) doloroſa. Rex autem his auditis celeriter quoſcunque poterat accerſiuit, & Rhenum anno Septingenteſimo octuageſimo ſecundo tranſiens, venit in prouinciam, & caſtra poſuit in locum illum vbi Alera confluit in VVeſeram. Ibi ad eum iterum conuenerunt omnes Saxones ſub-

ſubiectionem profitentes,& ſe excuſantes de facinore commiſſo, ſimul proteſtantes quòd ſolus VVedekynus auctor tantæ ſtragis fuiſſet. Inſuper obtulerunt Regi quatuor milia & quingentos complices eius, quos omnes die vna iuſsit decollari, & ſic pacata terra rediji in Franciam.

CAPVT VI.

De vltimis bellis habitis contra Saxones

SIcut omnium fortiſsimus VVedekynus, ita & cæteris induſtrior videbatur, quo nemo hominũ ſub cœlo maiora intulit Carolo mala. videns ergo ſe tutum non eſſe in patria, iterum ad Normannos confugit. Cæteri inter confines prouinciæ reſidentes, cùm vidiſſent ita ſeuerè Carolum tantam multitudinem truncaſſe, cumque Saxones contra Saxones militarent, animũ reſumpſerunt, & vltimas vires experiri cupientes, motus nouos iterum citra & vltra vveſeram ſuſcitarunt. Sed non ſegniter Carolus his cognitis reditum parauerat, quin

potius ipſe Oſtphalos aggreſſus, & filius eius Carolus & nomine & mentis induſtria par genitori, VVeſtphalos petiuit, & cunctos ſibi non acquieſcentes, cũ rebus eorum omnibus grandi clade, ferro & igne vaſtarunt. facta ſunt hæc Anno CCCCCCC. LXXXIII. bello magno in territorio Lyppiæ, in villa Dechmode, nimis feruеſcente, in campo plano montis Oyllynck, iuxta Lemego quaſi ad miliare.

Poſt hæc iterum congregata ſunt agmina Saxonum ad ripam Haſæ, vbi hodie ciuitas Oſnaburgẽſis ſita eſt, & inde ad oppidum Haſſellunne, duo maxima fuerunt hæc bella, quæ vnquã geſsit Carolus contra Saxones: & Domino largiẽte victoriam, nihil ſimile deinceps attentarunt infideles, contra milites Chriſti. Hęc autem VVedekynus inſtruxerat, ſed ſuperatus cum ſuis vltra VVeſeram transfugit, & deficientibus viribus ac ſuceſsibus non fauentibus, ceſſauit. Hoc anno Domina Bertha regina, mater Caroli obijt, quæ erat filia Heraclij Imperatoris græcorum ac Romanorum.

Anno.

Anno. *CCCCCCC. LXXXIIII.* quidã Saxo nomine Haſtradus vel Hardradus bellũ cupiens, cõgregauit quos poterat & aliquã partẽ Friſonũ, plus fatuitate ductus quam ſtrenuitate fulcitus. Sed Rex à Nouo magio trãſfretãs venit in Saxoniam, & applicuit iuxta locum vbi Lyppia fluit in Rhenum prope VVeſaliam, & tranſiens vſque ad Luchidi, bellum ſatis durum, & ſæuiſsima factio orta eſt, ſed ſtatim ſedata quieuit. Autores vero clemẽter puniuit, nullum occidi permittens, ſed quoſdam exoculari, quoſdam verò exilio damnari.

Quædam alia adhuc parua narrantur bella fuiſſe, vel irruptiones ſuper Lyppiam, & VVeſeram, quæ ſimiliter facilibus ſopita congreſsibus fuerant.

Hoc Anno hyemauit Rex in Saxonia, ſimul proponens in ea manere, donec totaliter Chriſtianæ religioni ſubderetur, & feculenta progenies perfidorum tolleretur. Erat hæc hyems lugubris multum imbellibus, quia ſæpe fiebant de iuſſu regis expeditiones

ad vaſtanda loca illa, vbi ſe cõtinebant, & flammis ac cladibus ſpolijſque diſtra-ctis cuncta perierant, vt iam non eſſet ſpes reſiſtendi. Hanc extremam ſeueritatem cogebatur pius Rex miniſtrare cum multo dolore cordis ſui, propter nimiam pertinaciam ipſorum, qui nec Francis, nec Saxonibus pepercerunt.

Interea vt fertur miſit Rex legatum Romam ad Leonem Papam, pro conſilio habendo de rebellibus iſtis, quos nulla poterat diligentia ex toto compeſcere aut exterminare. Aſt ſanctus vir audita legatione nihil prorſus reſpondit, ſed ſurgens ad hortulũ iuit, & zizania cum tribulis colligens, ſupra patibulum quod de virgulis fecerat, ſuſpendit. Rediens autem legatus hęc Carolo nunciauit, qui mox ius vetitum inſtituit, quod vſque in præſens venię vocatur. Videtur autem hoc nomen tractum à latino, & quidam de more habent etiam Teutonici, vt dicant v v emy, quando aliquid triſte vel terribile vident vel audiunt, quaſi ve mihi, ſic hoc pragmatico & formidabili & peremptorio iure promulgato

gato

gato ilico reſponderunt. VVemi quaſi animo conſternati pro tam ſeuera conſtitutione palam ſancita. veruntamen quia ceſſante cauſa, ceſſare debuit etiam effectus, ideo poſtquam patria ſatis expurgata fuit, etiam rigor ille inoleuit, & alia iura & plebiſcita ſuperaddita fuerunt, per quæ communis populus regeretur.

CAPVT VII.

De pace facta & conuerſione VVedekyni.

ANo. Domini. CCCCCCC. LXXV. ablatum eſt iugum paganorum à Saxonia, & cæpit populus viuere iuxta ritum Chriſtianorum. In breui profecit valde auſteriuſque ſe inſtituit in ieiunijs, eleemoſynis dātis, ac alijs operibus fidei, quā vicinæ nationes, cuius veſtigia quædam adhuc permanent vſque in præſens. Carolus autem hoc anno venit ad Padebornam, vbi ſynodo celebrata, miſit per totam Saxoniam pro vijs aperiendis & pacificandis, & iter arripiens,

multa bona inſtituit, & totam illam regionem, legibus, ſtructuris, priuilegijs, eccleſijs, reliquijs, ac alijs clenodijs decorauit, de quibus ſolemnis relatio eſt vſque hodie.

Et quia prudentiſsimus erat, & ſui potens quaſi iniuriarum omnium immemor (quas à VVedekyno acceperat) ſimul conſiderans pericula quæ poſſent iterum ebulire, tentauit pietate ſuperare & beneficijs, quem armis vincere nequibat & minis.

Veniens ergo in Bardeuuick, miſit pro vvedekyno verbis pacificis & gratioſis, vt ad ſe veniret, ſed ipſe credere nolebat, donec Rex mitteret ſibi obſides ad placitum ſuum cum ſaluo conductu, & dextera ſecuritatis, vt moris eſt principibus. Quod audiens Rex, ilico miſit qui expetijt, & ſic venit aſſumpto ſecum Albione: ac iuxta Dei voluntatem res proſperata creuit in grande bonum fidei, & in confirmationem omnium quæ iam inchoata fuerant in prouincia. Totus enim conatus Regis ad hoc tendebat, vt eos ad fidem conuerteret,

ſeret, quod tandem non ſine difficultate, & præſertim diuino oraculo factum eſt.

Qualiter autem vvedekynus ad fidem venerit, diuerſæ ſunt relationes. Gregorius Turonenſis ſimpliciter dicit, quod præfatis duobus venientibus ad Regem, concluſit cum eis quòd venirent ad eum in Franciam, vt informati de fide baptizarentur, quod & factum eſt in Attimaco.

Et hoc quidem poteſt veritatem habere, ſed quia nihil præceſsit, non videtur credibile, quia ſaxeus vvedekynus humanis ſtudijs & verbis emolliri nequibat. Aiunt ergo, quòd miraculo interueniente ab errore ſuo ſit conuerſus hoc modo: Nã poſt plures tractationes, & exhortationes; cùm Carolus nihil proficeret, quaſi Dominũ interpellans, ipſum ad eccleſiam duxit. Intuente autem quomodo Miſſarum ſolemnia agerentur, cœpit primo multa delectatione detineri, ac deinde infremuit omni ſuauitate reiecta. Carolus verò rem tacitus conſiderans, finitis diuinis, eum

ad-

ad prandium inuitauit, presbytero qui miſſas celebrauit ad latus collocato. Epulantibus autem cunctis, VVedekyno dixit, Quomodo tibi frater placet conuiuium meum? At ille iterũ infremuit, dicens. Nequaquam mihi placet conuiuium tuum, quod illum latronẽ ad latus tuum collocaſti. Ait ille. Cur latronem vocas, qui neminem vnquam occidit? Et rurſus. Ego vidi quod pulcherrimum puerulum in manibus habuit, & plaudens cum eo, deoſculanſque ipſum, deinde lacerauit & comedit. Alij dicunt quod proprio motu clàm intrauit eccleſiam, volens explorare an deus Chriſtianorum eſſet in altari, an non. Et cum vidiſſet hæc, Karolo dixit. Iam expertus ſum, quòd veſtra fides vera eſt, quia ſic & ſic vidi. Tunc Karolus gratulabundus ait, Eia mi frater. Ego chriſtianus ab infantia, & de Chriſtianis parentibus natus, nunquam talem gratiam habere merui, ſicut tu hodie. Iam Dominus vocat te, noli vltra differre. Ex tunc immutatum fuit cor VVedekyni, vt gratia baptiſmali renatus, omnia ſpernens, mo-

nacho

nacho ſimilior, quàm duci appareret. Ita hunc ad fidem Chriſti tardiorem, inuenimus poſt fidem receptam deuotiorem. Multis donis ditauit eccclefias, præſertim Oſnaburgenſem & Myndenſem. Collegium in Engeré fundauit, vbi olim erat principale caſtrum totius VVeſtphaliæ, & poſt bonam ac ſanctam vitam obijt, ſeptimo idus Ianuarij, ſepultus in choro ibidem. Oſſa autem propter gloriã miraculorũ quæ per eum Dominus facere dignatus eſt, tranſlata ſunt in quadam arca, & ibi habentur iſti verſus.

Oſſa viri fortis cuius ſors neſcia mortis,
Iſte locus claudit: euge bone ſpiritus, audit.
Omnis mundatur, hunc regem qui veneratur,
AEgros hic morbis cæli Rex ſanat & orbis.

Eius caſtrum dirutum adhuc oſtenditur prope Rullam noſtris diœceſis, iuxta quod eſt parochialis eccleſia dicta Belem, olim Bethlehem, vt putatur ex deuotione natalis Domini ſic nuncupata, in qua VVedekynus baptizari elegit, Karolo eum de fonte leuante. In eadem eccleſia eſt bapti-

ſterium precioſum vſque hodie, in ſignum huius ſolemnis reuocationis perſeuerans. Concordando autem iſta cum ſupradictis, poteſt dici quod in Attiniato factus ſit cateechumenus, & poſt tempus in Pelem ſit baptizatus, ſicut conſuetudo eſt principum, quod ſponſalia, & ſepulturam, & cætera magnifica in proprijs terris libentius procurent.

CAPVT VIII.

De ſolemni inſtitutione Epiſcopatuum vtriuſque Saxoniæ.

Pvrgata dehinc prouincia, iam toto mentis annıſu Carolus inſudabat, vt ſemen fidei, quod longo tempore in ea ſatum fuerat, & fructum nondum fecerat, propter petroſa corda, & ſpinas & vias, ſiue conſueta, & nimis trita, ſacrilegia idololatriç, deinceps fœcũdũ fieret, & fructum multum afferret in patientia. Hoc itaque vt efficacius fieret, Anno Domini, CCCCCCC.LXXXVI. totam Saxoniam ſubiecit clero, & per diœceſes diſtin-

ſtinxit, ac viros ſanctos in pontifices ſublimauit, quo verbo & exemplo & miraculorum ac ſignorum frequenti exhibitione populum adhuc rudem inſtituerent. Sunt autem decem epiſcopatus inſtituti per pijſsimum Regem Carolum, qui in omnibus diuinum honorem quęſiuit, & animarum ſalutem, propter quod merito Apoſtolicus vir dicendus eſt, qui poſt aurum non abijt, nec pompam Dominiorum, aut faſtum gloriæ temporalis magnipendit. Ordinem fundationis non æqualiter inueni, quemadmodum, vt creditur, propter inſultus hoſtiles, & ſi ante hunc annum aliquos fundauit, tamen conſummare non potuit, aut ſi quos præfecerat, ſtatim ab aduerſarijs deijciebantur, nec aliqua perſeuerans pax in terra fuit, vt Chriſtiano more poſſent diuina celebrari, & iuriſdictio eccleſiaſtica adminiſtrari cum religione debita & conſueta.

Sedes proinde prima pontificalis à Carolo fundata, aſsignatur eccleſia Oſnaburgenſis, ſita intra montem orientalem illius terræ, vulgariter dictum

dictum Oyſtinck, in valle amœna montibus circumſepta ſuper Haſam fluuiũ. Hanc eccleſiam dilexit ſpecialiter, & excellenter libertatibus donauit, reliquis & clenodijs decorauit, Scholas Græcas & Latinas ibi perpetuo tenendas ordinauit, & venerabilem Dominũ VVyhonem primum epiſcopum eidem præfecit. Et quia ſanctum Petrum apoſtolũ ſpeciali deuotione coluit, eundem patronum ibidem eſſe voluit, anno domini, CCCCCC. LXXII. VVedekynus etiã poſt ſuam conuerſionem eandem eccleſiam veluti matricem, non parum promouit & glorificauit.

Secunda eſt Halbenſtadenſis, fundata in honore ſancti Stephani protomartyris, qui antea erat in loco dicto Oſteruuyck, vbi præfecit ſanctum Hyldegrinum fratrem ſancti Ludgeri, primum Epiſcopum, anno, CCCCCCC. LXXXI. Et poſt annos tranſlata eſt in Haluerſtat.

Tertia eſt Myndenſes fundata in honorem ſancti Petri apoſtoli, in loco apto & delicioſo, ſuper VVeſeram fluuiũ, in caſtro VVedekyni. Et repoſuit ibi cor-

pora

pora ſanctorum Feliciani epiſcopi Fulgienſis, martyris, Theoderici epiſcopi & martyris. Carpophori, Habundi martyrum, Sophiæ viduæ. Et præfecit in ea Hercumbertum primum epiſcopum, anno domini, CCCCCCC. LXXX. virum Sanctum.

Quarta eſt Bremenſis, fundata in honorem ſancti Petri, in vvijchmodia in loco Bremon vocato ſupra vveſeram. Hanc quoq; egregijs inſigniuit reliquijs & clenodijs. Et præfecit ei ſanctũ vvylbadum epiſcopum, anno, CCCCCCC. LXXXI. primum glorioſum euangeliſtam, qui cum ſancto Bonifacio ex Anglia venerat.

Quinta eſt Padebornenſis, fundata in honorem Beatæ virginis Mariæ, quam ſimiliter decorauit multis donarijs & reliquijs. ſcilicet ſancti Lyborij, Panacij, Thuribuli, Grundaniſoli, & Felicis Aquilegienſis, præfecitque in ea anno, CCCCCCC. LXXII. ſanctum Baduradri primum epiſcopum.

Sexta eſt vverdenſis, fundata in honorem Domini Ieſu, ac matris eius in loco

Tar-

Tardan dicto ſuper Aleram fluuium, vbi præfecit in primum epiſcopum, virum ſanctum Suuybertum miraculis glorioſum, diſcipulum ſancti Bonifacij. In hac eccleſia habentur generalia priuilegia omnium epiſcopatuum Saxoniæ, data Moguntiæ à Carolo, anno CCCCCCC. LXXXVI. præſentibus ibidem archiepiſcopis electoribus, &c.

Septima eſt Madeburgenſis, fundata in honorem ſancti Mauricij ſuper Albiã in Parthenopoli quõdam Putena dicta, quæ tamen in illo loco non fuit à Carolo fundata, ſed in Styde ſub dominio comitum de Swalenbordh/ nunc de Lyppia dictorum, de quo tranſlata fuit ad VVallerſleue, deinde ad Vreſe, tandem per Ottonem primum anno noningenteſimo, triceſimo ad Madeburch/ cuius fauore mirabiliter ſublimata in primariam totius Alamanniæ fuit, & eſt vſque in præſens. Primus epiſcopus fuit ſanctus Albertus, vir per omnia Reuerendus.

Octaua eſt monaſterienſis, fundata in honorem ſancti Pauli apoſtoli in loco

quondam dicto Mymynge Vorde, cui præfecit in primum epiſcopum ſanctum Ludgerum, fama & gloria miraculorum ſplendidiſsimum, quod monaſterium VVerdenſe in loco ſyluoſo iuxta fluuiũ Rurę extruxit, ibique ſepulturam elegit, ſtupendus ſignis clarens vſque hodie. Quantum hęc diœcęſis creuit, quanque ſit optimè dotata & ornata, ac probis viris ac fœminis referta, quam ſobriè in vindicandis iniurijs naturaliter temperata, quam inclyta in frequentibus triũphis effecta, quam inuoluntarie bella ſemper ſuſceperit, quã conſtanter hoſtes ſemper ſubegerit, quam pacifica vicinis, quam terrifica aduerſarijs, non facile dixerim, nec dicere audeo, ne arrogans natalis ſoli propalator inueniar.

Nona eſt Hyldenſemenſis, fundata in honorem ſanctæ Mariæ virginis. Hanc tamen Carolus in aulica primum fundauerat, ſed morte præuentus non compleuit. Filius autem eius Ludouicus eam tranſtulit in locum, qui dicebatur Bunnopolis, precioſo miraculo præeunte, dans in primum

epiſcopum ſanctum Buncharium, anno *CCCCCC.* XCVI.

Decima eſt Hamborgenſis, fundata in honorem beatæ virginis Mariæ, in Hammonis, id eſt, Iouis caſtro, cui primum epiſcopum dedit ſanctum virum Beridanum. Et hoc mortuo Ludouicus præfecit ei ſanctum Anſcharium, monachũ de Corbeya, qui 16. annis archiepiſcopus ibi præfuit. Hæc omnium Aquilonarium caput ac metropolis erat, ſed anno *CCCCCCC. XXXVI.* tranſlata fuit ad Bremẽſem, & ei adunata, vbi etiam ſedit idem Anſcharius, 18. annis. Et ſic facta fuerat eccleſia Metropolitana, quæ antea erat ſuffraganea Colonienſis.

CAPVT IX

De conſummatione & confirmatione Saxonum, & aduentu ſancti Leonis Papæ in prouinciam.

RORE diuino ſic fœcundata Saxonia, iam miſit radices ſalutares, & per diuerſos pagos fructum attulit inſolitum. Solet namque primitiua gratia

tia liberalis eſſe & pinguis,feruida & obſequioſa, & ad omne opus bonũ hilaris. Tẽpla, monaſteria, hoſpitalia, cæteraq; pietatis domicilia,& alia clenodia antiqua, vſq; in præſens atteſtantur, quanta tunc fuerit in populo nouiter conuerſo ad cultum ſacræ fidei deuotio. Sed & memoria dignum ſuperuenit ei adhuc firmamentum, quod abſque dubio diuinitus eſt ita adminiſtratum. Nam Carolus ouans & iucundus effectus, videns laborem ſuum non perijſſe, vt crebro timuetat, ſed proſperum & beatum finem ſortitum, prouinciam cœpit plus ſolito diligere, & moram illic trahere, præcipua feſta celebrare, & per ſeipſum iudicia tenere, & iuſtitiam miniſtrare.

Hæc dum fæliciter ageret,tranſierunt anni & anni, in quibus grandia fecit per filios ſuos apud extraneos, ſed ipſe in Saxonia perſeuerabat. Et ecce Anno. CCCCCCC. XCIX. dum eſſet in Padeborna, nũcium recepit de ſancto Leone Papa, qualiter à perfidis Romanis oculorum effoſsione, & linguæ præciſione

inique punitus eſſet, & in carcerem truſus, ſed Dei clementia ſanatus & liberatus. Inſuper audiuit, quod idẽ ſanctus vir ad ſe veniret, quare ſtatim iuſsit parari omnia, vt tantus pontifex digne ſuſciperetur. Miſit igitur obuiam ei filium ſuum Carolum cum exercitu, ipſe in loco manens, & cum veniſſet digniſsime, eũ ſuſcepit, cum immenſo gaudio omnium Chriſti fidelium. Duxit proinde eum per prouinciam in longum & latum, vt loca & populũ benediceret, & in ſancta fide confirmaret. Pontifex autem congratulans ei gratiſsime vndique circuibat, quamquam ſibi mora difficilis appareret, & plures eccleſias conſecrauit, de quibus vſquam in præſens eſt, recens memoria. Primo conſecrauit eccleſiam Padebornenſem, in honorem Beatæ virginis. Secundo eccleſiam in Hamelem, in honorem ſancti Bonifacij martyris Tertio prope Mindam in villa montis VVedekenberch, eccleſiam dictam Berchkerken, conſecrauit in honorem ſancti Nicolai. In huius eccleſiæ medio fons eſt limpidiſsimus, & campanula

quæ-

quædã habetur, quam ipſe ſanctus Leo Papa ibidem reliquiſſe fertur. Inſuper & in Syborch iuxta Tremoniam ad miliare conſecrauit eccleſiam, & de reliquijs ac indulgentijs, priuilegijs, & alijs beneficijs multiplex eſt relatio per totam prouinciam.

Magna ſunt hæc & ſtupenda dona ingrato & rebelli populo exhibita, quę nõ parum proteſtantur quantum dilexerit dominus ſalutẽ Saxonũ, qui talem ei põtificẽ & epiſcopos presbyteros, Regẽ ac principes tranſmiſit.

Veruntamen antequam dominus Papa venerat, facinus quoddam nimis enorme commiſerant quidam Saxones ab alijs Northalbingi vocati. Nam cum Rex ad ipſos miſiſſet legatos pro iuſticia legali more gerenda, ſtatim illos inculta plebs interemit. Quod audiens, valde commotus fuit, & exercitu aduocato grauiſsime vindicauit. Exoritur ibi bellum atrox, & militibus vbique furentibus, quatuor millia hoſtiũ ceciderũt. Regione vero vaſtata, vulnera, luctus, clamor, fuga, rapinæ omnia complebant.

Duo tamen duces Karoli, viri inclyti, & magnorum operum, à Sclauis & Danis interfecti ſunt. Vnus erat Beroldus Bauariæ comes, alter Ericus dux Italicus, qui pro hac ærumnoſa vita periculis plena, per virtutes maximas gloriam mercari ſunt æternam. Vltimo, vt inclytus Rex terram nouiter conuerſam adhuc amplius illuſtraret, abſtulit plures de Saxonibus cum ſuis vxoribus, & tranſtulit in Franciam, vt putatur ad decem milia, & eiuſdem numeri reduxit viros fideles de Francia, Efflaria, Haſlania, & Hardania ad Saxoniam, dans eis terram perpetuo poſsidendam, & gubernandã, ita tamen vt totius regionis proprietas apud clerum remaneret, propter periculum recidiuandi, & vt ipſe clerus (ſicut cęperant ſuo exemplo iam ſancti pontifices & clauſtrales & paſtores) patriam illã in fide Chriſti, & regis fidelitate manu teneret. His ita ſtudioſè diſpoſitis, magnificus Rex annos natus quaſi quinquagintaſex, Saxoniæ valedicens ad totius Chriſtianitatis gubernacula iturus tractanda, primum ſanctum Leonem papam

pam ſedi ſuæ reſtituit, & habito iudicio de perfidis, vindicauit in eis, & totam Italiam diu afflictam ad pacem reduxit. Hæc facta ſunt anno Domini. CCCCCCCC. Sequenti anno ſanctus Leo papa permotus iuſta & neceſſaria cauſa, sereniſsimũ Carolum regem Francorum cum aſſenſu omnium diligentium ſalutem Chriſtianæ politiæ Imperatorem creat. Romanis fauſta clamantibus, felicior Octauiano, melior Traiano. Vnde propter quod in propria perſona annis. 30. cum Saxonibus dimicauit, quibus adduntur anni tres, quibus ſub patre ſuo Pipino militauit, & ſolitas congreſſiones cum ipſo contra eoſdem perfecit. Quanta autem bona operatus ſit in locis ſibi ſubiectis, & quales triumphos exercuerit contra Sarracenos, quaſque virtutes in tota Chriſtianitate ab Hieruſalem vſque ad vltimos fines Hiſpaniæ exhibuerit, & leges humaniſsimas quas promulgauerat, qualiter etiam totum Imperium religioſè ac ſanctè diſpoſuerit, optimus quiſque facile iudicabit. Vicit enim famam virtutibus ſuis,

vt merito inter diuos numerari debeat, & ſanctus appellari. Tandem anno domini, CCCCCCCC. XIIII. Ianuarij die 28. ætatis ſuæ, 72. diem clauſit extremum, de palatio eccleſiæ militantis ingrediens palatium eccleſiæ triumphantis. Elegit autem ſepulturam in Aquiſgrano, quem locum ſemper coluit, & ſtructuris & priuilegijs, & reliquijs, & glorioſo ſeptennali (vt vulgo dicitur) paſſagio, quod permanet vſque in præſens, ſublimiter decorauit.

CAPVT. X.

De Canonizatione Sancti Caroli, & periculis poſt eius obitum emerſis & conuerſione quatuor prouinciarum magnarum.

VT autem tantæ virtutes cunctis Chriſtianis, & præſertim principibus in exemplum ponerentur, non deſtitit omnipotens Deus fidelem ſeruum ſuum miraculis poſt mortem glorificare, quem totiens in vita miraculosè conſola-

ſolatus fuerat. Inſuper Sancta mater Ecclesia eius præciduis & ſalutiferis laboribus non ingrata, ipſum ſanctorum catalogo aſcripſit, canonizante eum Zacharia Papa in præſentia domini Frederici Imperatoris primi. Eius feſtum agitur quinto Kallen. Februarij, eodem videlicet die tranſitus ſui præfato. Hunc glorioſiſsimum Imperatorem, & ſi tota Chriſtianitas merito venerari debet, maximè tamen vtraque Saxonia, id eſt Oſtphalia & VVeſtphalia: quoniam à Thuringia vſque Iſlam, à Rheno vſque ad Albiam eliminato idololatriæ vitio, tanquam verus Chriſti Apoſtolus intus ac per circuitum repleuit eas Euangelio Chriſti. Quod ſi Apoſtolos cæteroſque martyres ac confeſſores commendamus, qui licet periculo corporis, leui tamen officio linguæ fidem prædicarunt, non minus Carolum oportet ſublimiter extollere, qui millies animam poſuit pro teſtamento Chriſti, corpus, animam, ſubſtantiam, filios, amicos, cognatos, patriam, regnum, & quicquid habuit, quicquid

potuit, periculoſiſsimis laboribus ſolicitudinibuſque innumeris non parcens, omnia toto vitę ſuę ſpacio, expendit, impendit, & ſuperimpendit, pro ſalute & animarum & gloria fidei exaltanda. Hunc patronum, hunc memorabilem virum, hunc magnificum Imperatorē in Domino laudemus, quem ita ſublimauit diuina munificentia, vt inter omnes catholicos principes nullus inueniatur, qui ad eius faſtigia audeat aſpirare.

Hoc tibi præconium contulit, ò Saxonia, deus omnipotens, & à nullo alio potueras ſuperari, à nullo debueras emundari, informari, illuſtrari, ac in fide fundari & firmari, quam à tali qui vniuerſis præſtabat poteſtate, puritate, pietate, nobilitate, fortitudine, ſcientia, religioſitate, ſapientia, & ſanctitate. Nullum moueat, quòd poſt obitum ſacrati principis nouæ clades inſurrexerunt, quia hoc proprium Eccleſiæ eſt, vt in hoc mundo preſſuram habeat. Pertinaces enim illi qui cum VVedekyno fidem recipere noluerunt, ad Normannos & Danos, ac alios infideles redierunt, & gra

grauiſsimas diſſenſiones ſeminarunt, odiaque antiqua renouantes, terras fidelium inuaſerunt longo tempore. Saxones quoque illi vltra Albiam diſiuncti, cum Sarracenis vicinas ſibi chriſtianorum terras vaſtarunt. Normāni Galliam ſupra modum afflixerunt. Dani Friſiam, & Traiectum, & alia loca propinqua ad ſolum deduxerunt, eccleſijs exuſtis. Tandem miſerante Domino omnes ad fidem conuertebātur; & Saxones iam fideles effecti Francos iuuare cœperunt. Videntes namque Coloniam, Treuerim, & alias ciuitates Galliæ exuſtas, Rhenum tranſierunt, & fugato Rollo duce Normanorum, tandem ipſum ad obedientiam fidei compulerunt. Baptizatam autem filiam regis Franciæ Gyllam nomine, accepit vxorem, & ſic tota Normannia conuertitur. Poſt hæc Dacia, deinde Bohemia, ac demum Vngari fidei gratiam ſuſceperunt.

Fertur quoque, quòd nonnulli de antiquis Saxonibus incredulis ad Sarmatas confugerunt, & vſque hodiæ Sameitæ dicantur, in ſua duricia permanentes,

ac quotidie contra fideles pugnantes.

Hæc de pluribus pauca ſufficiant extracta, in quibus large oſtenditur, quãta fuerat calamitas in diebus illis, & quãta ſtrages pro extirpatione idololatriæ & introductione fidei in terris noſtris. Eodem tempore ſicut mirabiliter creuit fides in his regionibus occiduis, ſic miſerabiliter defecit in partibus orientalibus, impia ſecta Mahometi nimis inualeſcente, & terras chriſtianorum deuaſtante.

CAPVT XI.

De inſtitutione prouida prouinciæ quoad vtrumque ſtatum, & legibus ac iuribus illic per Carolum traditis.

SVnt nonnulli qui putant ſanctum principem Carolum nimis dure & inhumaniter populum VVeſtphalicum grauaſſe, ac eis impoſuiſſe leges acerrimas, quos omnino errare pronuncio. Quod vt clarius pateat, modum regiminis

nis quantum reppori & ex parte vidij vt veriſimilius potero, breuiter explicabo. Nequaquam enim credendum eſt, quod ſancti illi Pontifices, videlicet Ludgerus primus epiſcopus monaſterienſis & Hatumarus primus epiſcopus Padebornenſis cæterique viri venerabiles quotidianis miraculis choruſcantes hoc promiſiſſent, vt aduenæ licet fideles ſic gentem illam nouiter conuerſam affligerent. Non habet hoc chriſtiana pietas, quæ ſemper modeſtius adminiſtrat cultores ſuos quàm paganiſmus. Hanc ſententiam in libris Aug. de ciui. dei (quos idem Carolus ſæpè ante ſe legi fecit) pleninius vide. Nec tamen abnego, quin ſecundum prophetiam ſuprapoſitam ad tempus ibidem princeps aliqua durius egerit propter rebelles donec ſibi perueniret victoria plena. Sic olim Scipio (vt Liuius teſtatur) ſeuerius in Africanis bellis maluit perfectam victoriam, vt deinceps vberiorem ſubiectis præſtaret gratiam. Habet enim hoc quorundam nequitia, vt victi obedientiam ſubdole victoribus promittant, rurſumque

pi æſtarēt, Rex ad ſua redibat, bellaq; cōtra Gothos & Sarracenos plurima conſtituerat. Vere digitus dei in omnibus cooperabatur, & nunquam defuit per omnes illos, XLVII. annos quibus regnauit, quia continua in diuerſis terrarum partibus bella geſsit ſumma felicitate. Sic prudenter, ſic magnanimiter, ſic fortiter, ſic hilariter, ſic ſolerter & vigilāter. omnia & ſingula ad miniſtrauit (domino diuerſis miraculis cooperante) vt merito intuentibus in dubiū venire poſſit, vtrum in eo, aut laborum patientiam, aut felicitatem, aut animi conſtantiam, aut Angelorum pręſentiā mirari potius conueniat. Crebro namque ipſo abſente beati ſpiritus tuebantur loca & caſtra, quæ laborioſe acquiſierat..

Poſt hanc ſemel concordiam voluntarie & ſolemniter initam, deinceps nūquam repperi maiores noſtros contra dominos ſuos ſeditionem ſuſcitaſſe autem communem populum prouocaſſe, ſicut in quibuſdā prouincijs aliquando contigit: ſed beneuolenter & communiter ſecum habitaſſe. Ceſſet ergo que-

rela quorundam de Karolina ſanctione, quaſi in ſeruitutē fœdā ſint redacti, quia deditio illa tā gratioſa fuit, vt pro ſumma libertate computaretur. Si autem de poſt aliqua immutata ſunt, non mirum cenſeatur, quia iam tempus magnum effluxit, & interim ſuprema imperia & regna, de ſtirpe in ſtirpem, de gente in gentē, tranſlata cernimus. Multa ſcimus dominia deiecta, multa de nouo eleuata, ſecundum ſolitū morem humanæ mutabilitatis. Cum omnium rerum ſit quędam viciſsitudo, Terentio teſte. Iam enim *CCCCCCC*. anni tranſierunt ex quo hęc facta ſunt. Scio quod loquor, quia vidi multos de maioribus illis, quos alio nomine cultos vocāt, quāquā tamē vxores vniuerſaliter omnes maioricę à noſtratibus nominētur, ſcio inquā eos egregias curias poſsidere, cū filiabus domicellorum connubia iungere, iudicia exercere, nō ex cōmiſsione, ſed ex paterna traductione, redditus & ſeruitia in pagis ſuis ſicut ab antiquo, ſic & nūc obtinere, aliaque ad ſtatus ſecularis honeſtatem pertinentia habere, ita vt de commuta-

tione

tione Chriſtianæ Religionis conqueri omnino non poſsint. Si autem conqueri velint, dicant, quare ipſis illæ veteranæ ſtructuræ, quibus in tota patria nihil antiquius ſcio. quare cāpi, agri, ſyluæ, & alia quæ dicta ſunt, quare, inquam relicta, quare vſque in præſens conſeruata ſunt? nonne ex Chriſtiana pietate? Nonne omnia in manu ſancti principis ac beatiſsimorum præſulum fuere? Nonne quos eijcere poterant, aut eiectos prohibere ne redirent, rurſum ad gratiam prouocarunt, atque receperunt? Nonne qui ad fidem ſe ſponte obtulerunt, velut ſocios & chariſsimos fratres habuere? Vſque in præſens legales noſco viros, & ante tempora noui de genere maiorum, in præcipuis ciuitatibus conſules & proconſules, iudices, cultos ſiue fultos gubernatores patriæ, altos comites, droſſatos, redditu arios, conſiliarios principum adeò ipſis familiares, vt vix inueniretur tertius eis proximorum. Diſcutiat cui placet, an ne, quo ad ſecularem, ho-

neſta-

neſtatem chriſtiana religio ipſis auxerit gloriam, an demſerit. Qui olim vnius pagi ſiue villæ dominum tenuere, deinceps & nunc in tota patria ſpectabiles ſunt. Quid ſi quis dicat, non omnes tales eſſe, ſed plures ærumnoſos & contemptibiles, & nomen habere ſine re, ſecundum illud quod dicitur in hiſtoria Caroli metrica.

Nomina nunc remanent, virtus antiqua receſsit.

Reſpondeo. Nunquid tempore paganiſmi omnes æquè felices erant? Nunquid & domicelli ſemper in pari gloria perſeuerarunt? An non quotidie creſcunt & decreſcunt, & plures ad extremam pauperiem deuenerũt? Et vt planius loquar: Nunquid non & ipſa ſtirps Caroli vix ad centum annos tenuit imperium? Et de poſt videlicet circa annũ Domini milleſimum, etiã de regno Frãciæ eiecta fuit? Ob hanc tam crebram mutationem temporalium dominiorũ auſus eſt dicere Plato: Omnes ſerui ex regibus, & omnes reges ex ſeruis ortum traxere.

Hæc breuiter dixi, vt ſaltẽ ſtulte cõtra VVeſt-

VVeſtphalos loquentibus ex aliqua parte reſpóſum ſit. Noui quendam de maioribus ante annos triginta, cui Dominus dedit plura, videlicet vxorem probam & virtuoſam, honore abundantem, proles vtriuſque ſexus multas, gratiã principium, de aduerſarijs triumphum, diuitias, delicias, ſanitatem, pacem, aliaq; ſimilia. Hoc vnum tamẽ non habuit, quòd ſcilicet cum eſſet prę alijs prudens, quòd & ſuam quoq; felicitatem intellexiſſet. Nemo enim ſua ſorte contentus eſt, teſte Horatio primo Sermonum. Si rurſum obijciatur, quid de alijs inferioris gradus & minimæ ſortis hominibus, qui (vt fertur) nimis infelices ſunt, & graui premũtur ſeruitute. Dico quod ſanctus Carolus illam non introduxit, vt ſupra tactum eſt. Prælatus quidam venerabilis mihi retulit, quod illa ſeruitus lõge ante eum ibi fuit, imo quantum datur intelligi, ipſe eam mitigauit, certum modũ eis imponẽdo, ſicut olim Ioſeph in AEgypto fecit, præcipienſq; principibus & domicellis, ne aliquid vltra ab eis extorquerent. Noui quendam de militaribus,

qui

qui dicere conſueuit. Væ corporibus & animabus noſtris, ſi vnum ab eis violent obulum, recipiamus vltra quam nobis conſtitutum eſt. Sæpe audiui, nec vnquã aliter vidi, quàm hoc teſtamentum ſacrum infringentes, pauperes ſcilicet opprimendo, eiſque afflictionem ſuper afflictionem apponendo, & ad amaritudinem vitam ipſorum perducendo, & à domino plagari, & ſicut alijs feciſſent, ita quoque & eis fieri. E contra eos qui ſecundum ſacram ſcripturam contenti eſſent ſtipẽdijs ſuis, facienteſque illis ſicut vellent ſibi fieri, à domino deo benedictionem percipere, & tam fama quàm rebus omnibus feliciter proſperari. Nõ eſt enim communitas propter Prælatos, ſed prælati propter communitatem conſtituuntur. Neque aliunde habent ſuperiores gloriam & emolumentum niſi à ſubiectis, & iccirco tenentur procurare bonum ipſorum fideliter omni tempore, & omni loco, à minimo vſque ad maximum. Sicut enim eſt anima in corpore, ſic debet eſſe rector in populo. Rectiſsime itaque legitur in ſacris lite-

ris:Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe deprimebant, & abſtulerũt labores eorum. Et clamor oppreſſorum aſcendit in cælum, vindictam petens contra crudeles dominos. Inſuper & ſancti qui iam cælo præſident, videntes teſtamentum ſuum prophanari per diſcipulos, non parum aduerſantur eis, ſicut econtrario ſummam in modeſtis & bonis principibus oblectationem accipiunt. Et hæc de ſecunda parte principali huius operis dicta ſufficiant. Sequitur de tertia.

FINIS LIBRI SECVNDI.

R. P.

R. P. VVERNERI ROLEVINCK LARENSIS ORDINIS CARTHVSIANI de ſitu & moribus VVeſtphalorum.

LIBER TERTIVS in quo agitur,

De VVeſtphalorum Apoſtolatu, & legatione: de Legatorum egreſsione, exemplis & fortuna, exercitijs, patientia: de VVeſtphaliæ affinitate, Sanctis & Reliquijs, inſtitutione, excuſatione: de conſeruando antiquo iure, gratitudine & concordia, gratijs exhibendis.

CAPVT I.

De Apoſtolatu VVeſtphalorum per orbem.

SCRIPTVRVS de magna probitate VVeſtphalorum, & bonis virtutibus quas faciunt per totũ orbem terrarum, vix ſcio vnde incipiam. verum me cæteris cõformando, à fidelitate iuxta commune pro-

prouerbium ſumere placet exordium. Sic enim ab infantia pluries externos populos ſubmurmurare audiui. O tu fidelis VVeſtphale. Fateor quod non ſum huius tituli inuentor, ſed vtinam ſim humilis promulgator ac ſtudioſus imitator. Non poteſt decipi facile eruditus mundus iſte, qui longa experientia hoc teſtatur, & idipſum quotidiana praxi renouat. Quis namque ad ſua ſecreta illū admitteret, quem aliquando repperit infidelem? Quorſum ibis lector candidiſsime, vbi non inuenias VVeſtphalos ſudare in arduis negocijs, & præcipue in illis, quę ex fide aguntur? Tanta ſiquidem ſpiritusſancti gratia cœlitus effuſa eſt ſuper terram illam, vt poſtquam ſemel fidem perfecte ſuſcepit, nunquàm deinceps recidiua fuerit, neque hæreſum inuentores, neque Iudæorum nequiſsimi fautores, aliquin ibi orti legantur. Siue igitur fidelitas ad moralitatem, ſiue ad credulitatem referatur, in vtraque gratia non minime reperies VVeſtphaliam diuina clementia fauente dotatam. Hinc in opere manuali, hinc in prædicatione

verbi

verbi dei, hinc in ſtudio litterarum, hinc in ſacramentorum miniſtratione, hinc in exercitio clauſtrali, hinc in gubernatione populari, cæteriſque probis moribus & auxilijs proximo impendendis, quaſi quendam Apoſtolatum accepit per orbem, veluti ei per prophetam efficacius ſit dictum: Audi filia & vide & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Nullam ſcio prouinciam hoc ita continue impleſſe, vt ipſam. Hinc (vt reor) contingit etiam illud impletum in natis eius, licet non in pari gloria, vt in illis principalibus Apoſtolis, tamē aliqualiter ſemper modulum ipſis competentem, quantum eis dominus donauit. Illud inquam quod idem propheta dicit. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quid mihi accidit veraciter dico. Nunquam in aliqua prouincia fui, vbi eos non repperiſſem, & plures numero, & pene in omni ſtatu, vltimos quoſdam, mediocres aliquos, extremos æque nonnullos, & ad omnem dignitatis gradum cum honore patriæ & Chri-

Chriſtianorum gloria ſublimatos. Quot diſcurrentes per orbem euangelizantes pacem annunciantes bona? Quot domi manentes parochijs ſubſeruiunt? Quot animarum lucris inhiantes, clericorum vitam inſtituunt? Et quamquam nonnullis neque vocis melodia, neque ſermonis ſuauitas, præ alijs quibuſdam nationibus excellentius adſit, videbis tamen eos in cantu & ſermonibus ſacratiſsimis tantam diligentiam oſtendere, vt (quod dictu mirum eſt) ſi non concordi ſymphonia aut ſtulta eloquētia, tamen ex mera ſimplicitate gratioſi ſint.

Magna quoque fiducia nonnunquam ipſis in animo eſt, tanquam ea quæ alijs è manibus auolant, ipſi reuocare aut perficere adamuſsim idonei ſint. Circunduc lumina, & cernes hunc ſuggeſtum conſcendere, quaſi in exilium & vltra Sauromatas vicia omnia fugaturum.

A diuitibus luxum, à ſeruis furta, à pauperibus lamēta, à plebe inuidiam, à nobilibus ſuperbiā, à curialibus fraudem

dem, à forenſibus voluptatem, ab omnibus auaritiam propulſaturum. Cernes alium capitularibus rumoribus obſtrepere, quaſi prolapſas regulas famamque cum temporalibus abeuntem, ad ſtatum felicem reformaturum. Alium inſuper monaſticis diſciplinis moleſtum fieri, atque inclamare vſque ad minima inculpanda. Prorſus quicquid ad eccleſiaſticum officium ſpectat, confidenter exequuntur. Hic in organis ludit, alter cãpanas pulſat, tertius per eccleſiam diſcurrendo luminaria curat, imagines locat, parietes ornat, pauimentum purgat, cæteraque ad placitum iucundiſsimè diſponit. Ne autem aliquid deſit, quartu ſepulchra aperit, fætore ſudoreque contempto, funera condit. Hæccine ſunt alia, quàm pietatis opera, quibus colitur Deus, quibus proximus adiuuatur?

Veniendum eſt ad ſtudia litterarum, ſi forte ob ea aliquò noſtra VVeſtphalia ſoleat natos ſuos tranſmittere. Hodie ipſa vniuerſitatem nullam habet, ſed an in Chriſtianitate ſit aliqua VVeſtphalorum expers, non facile dixerim. Inſuper ſi ali-

ſi aliqua facultas ſit quam aggredi paueant, omnino diffido. Hic profunda theologiæ myſteria ſcrutatur, hic Canonibus, hic legibus, hic medicinalibus experimentis inuigilat, hic artibus, hic poëſi, hic chronicis, hic ſtellis numerãdis, terris metiẽdis, aquis, aëri, ignibus, ætheri, prouincijs, beſtijs, hominibus. Angelis, cæteriſq́ue creaturis à Deo factis cognoſcendis ſtudium impendit. Vt breuiter dicam. Quicquid vnquam in notitiam hominum venire potuit, confidunt ſe apprehendere poſſe. Omnibus his qui bene vtitur, ſcalam ſibi erigit per quam ad Dei cognitionem aſcendit. Sic enim ſcriptum eſt. Delectaſti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. In hac ſcala Angeli aſcẽdunt & deſcendunt, id eſt, viri fideles, nunc contemplationi pro viribus inſiſtunt, nunc vero ad ſtudium bonæ operationis ſe deponunt. Hæc Apoſtolica eſſe exercitia nemo dubitat, & qui hæc incũctanter agit imitator Apoſtolorum eſt, etiam ſi miracula non facit, tamen mirabilia faciendo non ſimulatrix, ſed veriſ-

ſum eſſe contendit. Sic enim ſententia ſanctorum patrum habet: Si non facimus miracula, facimus ſaltem mirabilia. Nam de viro iuſto dicitur: Fecit mirabilia in vita ſua. An parum mirabile eſt, quod rudis iſte populus qui extra patriam præter corpora nihil precioſum, affert, tanta gloria in pleriſq; locis ſublimatur, vt Senatoriæ ſtirpi coæquetur. Non hoc aliunde eſſe poteſt niſi à virtute quæ imperat vniuerſis, cui ſeruiunt omnia. Tolle hanc, & cõtemptibilis res eſt homo beſtijſque deterior. Habet autem hoc virtutis actus, vt ſuum operatorem glorioſum efficiat, & bonis gratum, peruerſiſque ac malis odibilem conſtituat Hæ bonitates licet apud alios ſint, longe tamen apud VVeſtphalos magis.

Iam de ſacra Religione pene tacuiſſem, an videlicet in ea operarios VVeſtphalos inueniſſem, an vero præ alijs ipſos multiplicatos vidiſſem. Facile perſuaſum hoc mihi eſt, qui teſte experientia vltra medietatem quinq; in vno cœnobio

nobio, vel ad tertiam partem in externa prouincia reperi, & viciſsim ſolito numero & fideli labore ſibi ſuccedunt. De magnis eleemoſynis & fundationibus hoſpitalium, & in eccleſijs ac monaſterijs extruẽdis ego quoque teſtis ſum, quantũ ferueat, & feruida ſemper fuerit ipſorum deuotio, ſiue ex paterna ſucceſſione, ſiue aliunde temporalium abundantia arriſiſset.

Demum ſubnectendum eſt, de humili obſequio quod pauperes ipſi faciunt talia non habentes, cuius exemplum eſt tale: Quædam mulier fuit, quæ ante aliquot annos in Hieruſalem ſedit peregrinorum veſtimenta lauando. Hęc ex diœceſi Monaſterienſi oriunda, illucq́ue reuerſa pauperiem cum ſenectute hæreditauit.

Non dico hanc Helena ſanctiorem, ſed confidenter affirmo. Mallem cum regina glorioſe fretum tranſfretare, ac ſacris in locis eccleſias fabricare, quam cum hac paupercula miſerabile illud exilium tolerare. Hæc paucula de Apoſtolicis exercitijs ſint dicta, vt qui

maiora poteſt, Deo gratias agat, qui vero nondum poteſt, iſta ante oculos ponat, donec prima æmulatione inſtructus ad ſublimiora conſcendat. Gratiora enim nobis exempla ſunt, quæ paterna traductione veluti hæreditario iure ad nos perueniunt.

CAPVT II.

De legatione VVeſtphalorum per orbem.

HVcuſque quaſi ſerioſius de ſtatu VVeſtphaliæ loquuti ſumus, ſed nũc more eutrapelorum, aliqua ſolatioſa apponere placuit, quæ iocunde velut in orbe pro tędio ſubleuando narrãtur. Mos olim prouinciarum fuit legationes per mundum de ſuis diſponere, vt aut amicitias facere, aut renouare factas curarent. Hæc ad ſeculare ſtatum pertinere videntur, in quo noſtra VVeſtphalia ſi quid perfecit beneuolenter explicabo. Prouerbium vulgi eſt, Præuium pactum excludit futurum litigium. forũ igitur hoc ſolatioſum deduci nolo in contentioſum, ſed excludere volo tacitã opinio-

opinionem, quæ hac ſerie cepit originé. Presbyter quidam in Ambone vt populũ lætificaret, talẽ finxit parabolam, dicite mihi ait, quare VVeſtphali ſic diſperſi ſunt per orbem terrarũ. Tacẽtibus illis, ſibijpſi reſpondit dicens. Audite, & ego vobis cauſam reddam. Aliquando dum ſtaret coram Domino ſathan, quæſiuit vnde veniret At ille cum ſe diceret circuiſſe terram, iterum ait Dominus. Conſideraſti ne populum VVeſtphalorum, durum (vt ſic tecum loquar) & inconuertibilem, ac omnibus fidelibus moleſtum? Ait ſathan, Conſideraui, ſed ſi mihi dares ipſum, amplius tibi moleſtus non fieret. At dominus, Do tibi, ita tamen vt extra mundum ipſum ducas. Egreſſus ſathan, lætus & alacer magnum ſaccum præparauit, in quo omnes VVeſtphalos ligãs per aera volare cœpit, vt eos extra mundum tranſportaret. At illi ſuſpectũ negotium ſentientes, rauco murmure ſe cohortando, grauem moleſtiam ductori ſuſcitarunt, ita vt in monte quodam præ laſsitudine ſaccum deponeret. Terram igitur tangentes ilico cœperũt diſ-

rupto ſacro aufugere, vt nullus recordaretur ſui proximi. Sicque factum eſt, vt per totū orbem diſpergerentur. Redeunte autem ſathan ad dominum, increpauit eum dicens: Quid eſt quod facere voluiſti? Ego tibi VVeſtphalos dedi, vt ipſos extra mundum duceres, & tu econtrario illos per totum orbem diſperſiſti. At ille: Domine ne imputes mihi. Tu noſti populum iſtum quod durę, ceruicis ſit, & neque te neque me audire volunt. Ecce ego reddo eum tibi. In manibus tuis eſt, vtere eo vt libet &c. Hæc fabula ſi aliquid veritatis habere potuiſſet, non de fidelibus, ſed de olim incredulis accipienda eſſet. Sed ego aliam cauſam reddo. Scriptum eſt. Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Cum ergo VVeſtphalia generoſa ſit, & plures gignat proles quam nutrire poſsit, conueniens eſt, vt cæteræ terræ in poſſeſsionem ei cedere debeant, donec ſufficiant pro nutrimento earundem. Merito igitur legatos ſuos in orbem mittit, vt conſulendo & operando ſuas hæreditates expediat, ne torpore aut ignauia

nia incolarum marceſcant.

Hi autem legati ſunt in triplici differentia, videlicet opulenti, mediocres, & pauperes. Primi ſunt qui delicatè nutriti, ſecum extra patriam refertos ferunt auro loculos, de quibus nihil magnificum vt loquar, ſermo miniſtrat. Non enim mirum eſt, ſi tales creſcant in ſublime, quamquam plures eorum maneant (vt vulgo dicitur) Iohannes in eodem, aut de die in diem fiant viliores parentibus ſuis. Secundo ſimiliter crebro impediuntur, cum ſint celſiores cuſtodibus, & paſtoribus breuiores: languent namque inter ſupremos & infimos. Attingere illos non poſſunt, imitari iſtos erubeſcunt. Et quia obſequi diſplicet dum tempus eſt, ſua conſumentes, denceps miſeri & infelices remanent. Quòd ſi fortuna indebita quid attulerit, rurſum calenti ſtomacho tradunt, qui iam dudum molares, ſaxeaſque domos digerere aſſueuit, & ſic in miſeriam relabuntur priſtinam. Ab his ergo matutinis Dominis ac ſeruis veſpertinis

VVeſtphalia gloriam non habet cum ipſi dedecus ſint patriæ, tametſi prima ipſis decus ſit.

Sed nunc de alijs loquimur, quos prima ſuis moribus examinat, ac velut ignis aurũ probat, quatenus exacuati ſpectabilem ipſam conſtituant. Hi ſunt quibus proſpera nulla concomitantur, parum aut nihil præter corpora habentes, aut ſi quid poſsident, velut non poſsidentes ſe putant. Hos ſolemnes legatos dixerim, quibus ſola virtus in animo eſt: eo glorioſiores, quo non alienis laboribus ſed Apoſtoli exemplo ſuis manibus, tranſigunt vitam.

Quartum autem ipſorum videre placiat, & qualem concludant in orbe finem. Eſt ipſis incunabulis agreſte tugurium, mox in pecore paſcendo verſatur infantile primordium, obduratas glebas planta calcant, tenera membra canabina veſtis cingit, horrendus panis famem cum ptiſana pellit. Supellex domus hæc eſt. Lecti aut nulli: aut ſtraminei, aut fœno duriores, linum crudum, ſiue pannus hiſpidus pro veſtitu, caca-

bus,

bus, olla, ſcutella, cochlear, cyphus, patella, tinna, ſporta, ſpinda, ciſta, cæteraque aut ſingula, aut pauca, & omni vſui accõmodata. Eſt vnica hauriendis aquis vina deputata, ſic lauandis pedibus parata, ſicut præparandis eſcis quotidiana. Capitis reus eſſet qui obſeruantijs (vt ſic dicam) his, in aliquo obuiaret. Hæc eſt prima inſtitutio legatorum veſtrorum. Deinde cũ ſolidata membra quinquennium tranſierit, velut ocio priori abiecto, ad fortia manũ mittunt, aratra, plauſtra, redas ducunt, frumenta purgant, fimum exportant, & quicquid ad virile robur ſpectat, inchoare feſtinant.

Si aut ad ſcholas fors eos miſerit, vacuis manibus abeuntes ipſi valedicunt parentibus, & mirabili practica, nunc laborando, nunc mendicando, nunc ſtudendo, nedum diuitibus æque comparantur, ſed crebro præcellunt. Videres rem iucundam in puerili ætate, quomodo in exordio veris ſaccos dorſo imponant, oſtiatim cantantes patria voce, Domine Sancte Petre, inſla in cornu tuum, & reliqua: & hoc

pro frugibus colligendis, quaſi ſerendi opportunitas eos angeret. Rurſum illis abiectis ſportas reſumunt rotundas, quas kyppas vulgo vocant, villas vicoſque ruſticanos circuituri, vt oua ouantes congregẽt, ſic modulando: Surgite bona fœmina, date nobis oua, & cætera. Hoc quid aliud eſt niſi ſolicitudo futuræ ſolennitatis, quæ non rite colitur abſque ouorum apparatu.

Succedit tandem autumnus, in quo ad rura confluunt, ſpicas poſt terga metentium legendo, vt contra hyemis aſperitatem de victualibus ſint prouiſi. Agit hæc ſagax & induſtrioſa natura ſibi adhuc ignota, futurorum autem inſtar formicæ prænuncia, quaſi ipſo facto dicat. Dum plus potuero, etiam amplius & exactius laborabo.

Quantæ vero ſpecimen probitatis emineat in bonis pueris, ex hoc perpenditur, quod pauperculis parentibus ſi tanta neceſſitas eſt, ex toto deliberant omnem quod aut mendicando aut laborãdo conquirunt, denuo ab eis formidoloſius quæſituri, quibus egent, quam ab alienis.

Nonnulli quoque quos illa conditio vrget, ter quaterque venundantur, neſcientes quis primum eos per collum arripiat, & in carcerem mittat, donec ſe redimant, aut fideiuſſores ponant, ne à terra diffugiant. Et licet quibuſdam mechanicis aliquanto meliuſcule ſit quam iſtis, omnes tamen vna neceſsitudinis meticuloſa cathena percellit, pauentes ne grauius egeſtas ſenectam opprimat in locis non quæſtuoſis, vbi ceſſante facultate laborandi, qui nihil habet, nihil lucrari iuſte poterit.

CAPVT III.

De modo egreſsionis legatorum horum.

GRatulabundus olim regius Propheta, memor duræ captiuitatis antiquorum, cecinit dicens: In exitu Iſrael de AEgypto, domus Iacob de populo barbaro. Eſt aliqua ſimilitudo noſtrorũ legatorũ ad populũ Iſrael, quo ad egreſſionis formam. Olim AEgyptij ſuſtinere nõ poterãt Hebręos ſeruos ſuos, & tamẽ cum ſumma pertinacia eos retinebant.

Sanćti Prophetæ ipſos docebant quo-modo egrederentur, & qualiter ſe gere-re deberent in terra quam intraturi e-rant.

Pariformiter noſtri parentes docue-re nos & exulem patriam relinquere, & in alijs prouincijs per venuſtos mores felicitatem haurire. Peracto igitur no-uiciatu læſiuo qui iam in naturã verſus fuerat, cum iam. XII. annus impleretur, ex tunc & deinceps præparabamur, vt ad myſterium legationis mitteremur. Fate-or me in patria non debite, ſed delicate inſtitutum, & iccirco nullas mihi fortu-na vices foris retribuit. Proinde glori-am in illos transfero, qui meruerũt, ego verbis informatus verba reddo. Con-uenerunt erga parentes, filium quem mittere decreuerunt, & hunc aut ſimi-lem exhortandi modum accipiunt. Ecce dilecti fili, ſic & ſic, vt vides, continua nos miſeria, & ſolicitudo affligit. Parum habemus, paucis ſuſtentamur, vndique vicini fame cruciantur, tibi quod face-re potuimus noſti, ſi quando vel vnum diem delitioſum expẽdimus, tecum per-quire.

quire. Audiuimus in alijs prouincijs gloriā, diuitias, delicias, dominia, prælaturas, cathedras magiſtrales, honores populares, famulatus quęſtuales abūdare, quales nec vidimus neq; hic adipiſci valebimus. Si tibi hæc placent egredere, & fac medietatem laborum iſtorum, & felix eris. Eſto legalis & probus, fidelis ac conſtans, obſequioſus & voluntarius, diligens & alacer. Habe os facetum & mundas manus, ſic poteris perambulare regiones vniuerſas. Deum time, & dilectam matrem eius beatiſsimam virginem Mariam venerare. Angelum tuum ſanctum & apoſtolē, ac omnes ſanctos præ oculis habe, & quocunque veneris ſic te gere, vt non ſcandalum, ſed honorem & profectum ſentiamus quia in filiorum gloria parentum quoque & patriæ laus ſplendidius eluceſsit. Iam de alijs multa exempla probitatis audiuimus, & de te auxiliante deo idipſum ſperamus. Annuente filio, eum dimittūt abſque lachrymis, precantes fauſta, ſimulque, vt ſi creuerit, memor ſit pauperum amicorum ſuorum. Nonnulli verò

quibus phalera ſermonum deeſt, ſimpliciter fantur ad ipſum dicentes, Vade in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, noſter dilectus deus cuſtodiat te & deducat ſemper. Sic dimiſſus baculum viridem de indagine arripiens pergit, neſcius vbi non dico vltimam, ſed ſaltem primam noctem ſit habiturus. Nemo facile hanc legationem cõtemnat, nemo ſubſannet, quorum (vt ſæpè audiui) & aliqua proprijs oculis vidi, non leue myſterium in ea latet. Egrediuntur pannoſi, futuri glorioſi, ſtipem quærentes, ſed maximas largituri Eleemoſynas. Pedibus terram calcant, magnos caballos equitaturi, inter ſuos non reputati, ſed palatia diſpoſituri, vrbes, prouincias, populos gubernaturi, beneficia, promotiones, honores ſuſcepturi, atque donaturi. Egredimini puellulæ de cubilibus, innectite crines, capita ornate, veſtris ſponſis occurrite. Nolite eos conſiderare quòd fuſci ſint, quorum dum pecora pauerũt, decolorauit eos ſol. Hiſpidos ne deſpiciatis, quia ferrum non aſcendit ſuper capita ipſorum. Parumper expecta-

te, ſubito in alios viros mutabuntur. Et quos forte nec aſpicere hodie placet, ſuo tempore votis omnibus ad maritalem complexum requiretis. In mentem veniat ſanctus patriarcha Ioſeph, quem longa ſeruitus vilem exhibuit, vna hora in ſublime tulit. Hic nec vnius ancillæ contubernio dignus putabatur, qui tamen filiã nobiliſsimi ſacerdotis in coniugem accepit. Facile enim eſt in conſpectu Domini honeſtare pauperẽ. Surgite principes, & cãcellarijs, ſecretarijs, reddituarijs, conſiliarijs, cubicularijs, dapiferis, pincernis, officiarijſque totius ſubſtãtiæ veſtræ gratioſos vos exhibete, vt cum corpora veſtra, & apparatum gloriæ in ſua poteſtate habuerint, fideles vobis permaneant, & ex animo ad ſublimiora perducant. Hi ſunt quorum conſilio multa facietis, quorum fideli ſagacitati veſtrorum ſecreta cordium committetis. Properate in occurſum Prælati ſpectabiles cooperatoribus veſtris, quos vt proprias animas ob gratum obſequium diligetis, vt vobis in dignitatibus propter bo-

nas

nas virtutes ſuccedãt. Aperite portas inclyti ciues, vt veſtri cõſules ac futuri rectores introeant. Nõ vos ſtridor ille ferratorum calceamentorum deterreat, nõ eloquij ſimplicitas in dubitationem adducat. Mementote quod memorabilis Portinarius ille ſanciuit, qui ante aliquot annos multa experientia edoctus, hanc poſteris ſententiam reliquit. Hic enim velut diuinę prouidẽtiæ alludens, ſtatim cum aliquem de his humilibus legatis intrantem videret, venerabiliter occurrit, & manũ depoſito capitio poſtulãs dicebat. Gratulor aduẽtui tuo, mi dilecte domine Burgemagiſter. At ille rubore perfuſus, ſicq; reſpõdens, quare clientulum pauperẽ deriſiſſet, iterum aiebat: Non te derideo, ſed quod futurum eſt nuncio. Solet namque diuina clementia mites & humiles exaltare, & ex inſperato diuitias & gloriam eius cumulare. Hoc tamen non magni pendendũ eſt, cum dominus dicat: Fili recepiſti bona in vita tua, ſed in ordine ad bonum operandum, ex donis Dei ſicut in prędicto Ioſeph, & alijs multis Sãctis legimus,

gimus. Frequenter expertus ſum iſtud in legatis noſtris quàm prompti ad diuinũ cultum ampliandum fuere, & quam ſedoli in elemoſynis largiendis. Scio quid loquor. Ante annos. XII. cuiuſdã venerabilis viri de ſorte hac familiaritatem habui, quem (aſſumto ſermone qui ad hoc aptus videbatur) pauculis exhortationibus prouocaui, vt in quodam cœnobio, tum in ſtructuris, tum in prouentibus, & alijs quæ ad gloriam domus Dei ſpectant, ad duo milia & quingentos florenos expenderet. Alium adhuc ſuperſtitem noſco, qui quotidie de donis ſibi à Deo datis decimas ſoluit, cũ multa deuotione, & quicquid ſibi de mercantijs (vt ſic vulgo loquar) ex lucro venit, decimam partem ad opera pietatis deputat. Inſuper ad inſtinctum meum promptus fuit ad duo milia florenorũ, vt diuinum honorem in quodam monaſterio promoueret. Tertium æque noui Prælatum magnum, multis honoribus ſtipatum, cuius notitiam tempore ariditatis primæuæ habui, quem vix decem verbis attraxi, vt quidam bonæ voluntatis

tis adoleſcenti præbendam largiretur. Et vſque in præſens plures chariſsimos mihi & alijs habeo, quos rogare amplius pertimeſco quàm non exaudiri. Diligo enim eos qui legatione ſua honeſte perfruuntur, & eam perducunt ad virtutum titulos. Hæc pauca è vicino plus ſuperfluo quam neceſſario commemoraui reſpondens quod diuina prouidentia nomen ſuum glorificat adhuc, per huius mundi abiecta. quare etiam ex cõſequenti, ſæpe dicta legatio magna myſteria in ſeipſa habet abſcondita. Habeantur ergo in honore legati iſti & amore, quia neſcitur quid per eos Deus facturus eſt in orbe terrarum. Quos hodie deſpicimus, aliquando mirabimur.

CAPVT IV.

De quibuſdam exemplis, & varia fortuna legatorum iſtorum.

POST olim duram illam ſententiam quam noſtri parentes protoplaſti à decreto diuinæ iuſtitiæ acceperunt, quatenus

tenus in ſudore vultus ſui veſcerentur pane quotidiano, rurſum ſcintilla clementiæ emicuit, docens per induſtriam neceſſaria conquirere in iuuentute, vt deinceps pro merito æternæ vitæ cumulando, compendioſius ſacro vacarent ocio. Dicitur autem hoc ocium non ſimpliciter, ſed reſpectu manualium laborum, qui foris per corporis membra exercentur. Alioquin potius dicendum eſſet negocium, quaſi negans ocium, ſecundum illud Auguſt. Amicis huius ſæculi nihil laborioſius eſt, quàm non laborare. Tendit ergo hoc negocium ad tria honorabilia exercitia, videlicet myſterium orationis, ſtudium lectionis, & ſolicitudinem prælationis. Qui his tribus non inſiſtit aut aliquo iſtorum cum ſuis attinentijs, eius ocium vituperabile eſt. Anhelant adhuc plurimi, licet pauci ad huiuſmodi apti reperiantur. Verum quos ratio cohibet, ſors iuuat, immo gratia ſupplet, quod natura minus habet. Qui autē in decreto laborū præfato manent, vſq; in ſenectam, non nunquā ſecurius viuūt.

Quan-

Quanto enim aliqua res nobilior & precioſior eſt, tanto maiori periculo ſubiacet, & ampliori cura opus habet. Quam varie autem in his prouidentia noſtros legatos dirigat, iam ex parte dictum eſt, ſed nunc quædam inſperata exempla apponere placet.

Generoſus dominus Ludelolphus de Stenuordia deuota peregrinatione completa ad terram ſanctam, cum rediret. Venetias (vt fertur) applicuit. Circumſpiciens autem per plateas, vidit clypeũ pendentem ante domum cuiuſdam ciuis armis, ſuis inſignitum. Admirans ergo dixit proceribus ſuis quos in comitatu habuit: Huc introeamus, quia arma noſtra hæc ſunt. Suſceptus hilariter & egregie tractatus, poſt epulas vrbanè alloquitur patremfamilias, quem propter ſtatus magnitudinem ratus eſt illuſtrem fuiſſe, dicens: Vnde tibi venerande domine arma hæc. At ille ducens eum in cubiculum ſeorſum ſecreto dixit illi: Inclite Domine mi, rem grandem ſub fide aperio tibi, ſed tu quoque caue ne abutaris ea. Ego ſum natus in patria tua &

ſer-

ſeruus propriuſq; tibi ſum. Compulſus verò propter penuriam VVeſtphaliā & comitatu tuo exiui, quoquo verſum diuertendo. Tandem diues effectus huc veni, & inter primores aſcriptus, gloria & diuitijs affluo. Quod ſi hæc in mediū producere volueris, & me ad cauſam ponere, ecce nunc prædico tibi, quod caput tuum amputabitur ſecundum plebiſcitum huius ciuitatis, quia omnis talis velut de crimine læſæ honorabilitatis reus tenetur. Si autem hanc mihi gratiam præſtare volueris, vt diceres me tibi affinitate coniunctum, ſuprema mihi gloria foret, & ego cum honore ac ſtatu decenti te traducerem. Promittit Dominus, ſubito ſeruilis conditionis homo clareſcit, & ſplendide conuiuantibus nobilibus, hinc & inde, cum munuſculis & ſolemnitate qua decuit, Velut affinis affinem proſequitur. Habet hoc Venetorum prouida celſitudo, quæ longe lateque dominatur, Romanorum ab olim plus virtutem quam ſanguinem colat. Quicunque enim legalem & inclytum ſe probat, hunc facile in ſuum con-
ſor-

ſortium recipiunt, ſiue clarã ſiue obſcurã à parentibus trahat originem, quia vt vulgo allegatur: Nobilis eſt vere quem nobilitat ſua virtus. Nihili pene penſum arbitratur antiquitas quod verſatilitate ingenij vacat, & propoſito reipublicæ augendæ non fulget. Simile huius vidi oculis ipſe meis in quadam nobili ciuitate, de quodam egregio VVeſtphalone. Quam ingreſſus cum pauculis argenteis, per varia ſeruitia diſcurrens, tandem mercibus vendendis & emendis induſtrioſe animum applicuit, & ita fortuna arridente profecit, vt præclariores domos eiuſdẽ vrbis poſsideret. Duces verò & comites, cæteriq́ue totius prouinciæ principes gaudebant eius perfrui contubernio. Quantas grates reddidiſſet, ſi quis ei vel decimam partem horũ in primo egreſſu promiſiſſet. Dilexi virum, & præſertim propter deuotam (vt ſic dicam) ſenectutem qua pollebat, eleemoſynis largiter vacans, eccleſias ædificans, monaſteria ſuſtentans, veſtes ſacras, cæteraq́ue clenodia cum redditibus inſtituens. Quantas

tas vidi lachrymas compunctè fuſas, humiliter deplorãtis quòd plus temporalibus coaceruandis vacaſſet, quam neceſſe ſibi ac ſuis prolibus videretur. In extrema infirmitate iacens, ſtudioſe Capellanum ſuum requiſiuit, dicens. Datur etiam pauperibus? vix loqui plura valens.

Quo approbante quæſitum, lætior ipſe dominus apparauit. Obijt tandem ſenectute bona, plenus dierum, diuitijs, gloria, beatam mercedem à patre miſericordiarum, vt pie confidimus, perpetuò recepturus.

Cæterum ſicut hi, & proculdubio mille alij ex inſperato ad magna in magnis ciuitatibus ſunt promoti, ſic nonnulli in aſperrimis locis, etiam ſuper abruptiſsimas petras, non ſine admiratione reperti ſunt. Audiui in quadam relatione habita coram reuerendiſsimo Domino Theodorico Archiepiſcopo Colonienſi, quaſi pro ſolatio referri, à quodam venerabili patre & religioſo viro de Onna oriundo, quæ ſequuntur. Miror, inquit, de diſperſione

noſtratium per orbem, ac varia fortuna ipſorum. Nam & ego in diuerſis mundi partibus fui, & eos vbique inueni. Præcipue tamen de quodam vehemēter ſtupui, quem in altiſsima quadam rupe maritima depræhendi. Et mox ſubiecit: Nauigantibus nobis per fretum illud longum, quod inter Angliam & Noruegiam atque Saxoniam tenditur, coacti fuimus poſt mõtes petreos latitare, pro eo quod venti eſſent nobis contrarij. Ego autem cum nihil ſuſpicarer ibi Chriſtianitatis nec aliquid humanum ſolatiũ fore, audiui inter ſe naucleros ſubmurmurare qui dicerent: Vbi hoſpitabimur? Statim alij reſponderunt. Apud VVeſtphalonē. Dixi ego, quis eſt ille? Aiunt, Videbis. Egredientes ergo de nauibus aſcendēdo, peruenimus ad caſulam ipſius. Suſcepit nos lætanter quippe cui noſtrum diffortunium eſſet quæſtus optimus, & ideo quicquid potuit hilariter exhibuit. Demum interrogans cum admiratione, an VVeſtphalus eſſet, & quomodo illuc veniſſet, & quid ageret, aut vnde viueret? Ad omnia reſpondit dicens. Ego veſtras

ſuo

ſum natus de Borken Monaſteriēſis diœceſis, huc veni neſcio qualiter, hoſpitiū nautis teneo, & quod ab eis percipio inde viuo. Expleto autem tempore aliquo receſsimus illinc, ipſum illic relinquētes. Noluit enim nobiſcum redire in patriam. Verum, quia ſimile huic vidi, nihil non deſino vſque in præſens admirari peregrinam VVeſtphalorum fortunam. Fixum deinceps apud me fuit omnes habitabiles latebras cunctaſque fortunæ vices VVeſtphalos experiri. Quis namque in illa deſerta rupe, ſalſiſsima vnda circumfuſa (ad quam nemo niſi inuitus accedit) non potius fame mori extimeſceret, quàm victus neceſſaria conquirere? Hęc qui faceret ſyncerē propter deū & proximi conſolationē, opus vtiq; eſſe magni meriti. Si quis autem ſimplici intuitu ſic degeret, nihilo minus occaſionem præſtaret multa mala declinandi. Crebro enim contingit vt qui inter ſeculares viuūt, etiam ſeculariter ſe inſtituant, & dum vicinis diſplicere nolunt, timorem dei nonnunquam incaute negligant.

Poſt iſta quæ aliunde adduxi, nunc quid acciderit paucis adijciam. Extra patriam vectus, in quodam ſolemni loco ſteti, duos ibi VVeſtphalones contemplatus, animo ſuſpenſus dijudicare tentaui, ſed in ipſo iudicio defeci. Vnus diues qui ſtructuram precioſam ibi erexit, alter inops qui ex officio funus ibidem ſepeliuit. Narrauit ille de multis florenis, de panno precioſo, de edulijs opiparè coctis, ſpeciebus, foderaturis, ac ſimilibus quæ mortales prima ducunt. Iſte autem (quemadmodum fabri fabrilia tractant) de fœtoribus quos ſuſtinere ſolebat in foſsis aperiendis. Dixi ego ei: Vnde es amice? Ait quaſi verecunde ſubridens: Ego ſum de Altanae. Intellexi poſtea quod veri ſimiliter hic pauper in egreſsione locupletior extitit diuite illo, ſed fortunam longe diſsimiliorem in proſequutione vidimus.

Vt dixi, hæc diſcutere cœpi, cur ſic iſta fiant, ſed vſque in præſens non ſufficio. Si dicas, Diues ille cautior in principio

fuit,

fuit, puſillos deguſtans piſciculos, donec ad grandiores perueniret. Reſpondeo.

Poteſt quidem ſic eſſe, ſed nulla ſigna lauticiæ in illo paupere conſiderani. Si dicas: diues ſubtilior fuit. Reſpondeo iterum, poteſt ſic eſſe, ſed vnum ſcio, quod ſatis groſſus forinſecus apparebat, & cum quodam ſocio ſuo ſatis concordabat, qui crebro quaſi ſolatij gratia dicere conſueuit, VVeſtphalones quantò ſunt groſsiores, tantò & nobiliores. Hoc fortè aliquid veritatis habet, ſicut de ſancto Iob in Biblia legitur. Erat vir ſimplex & rectus.

Sed mea quæſtio nondum ſoluitur, cum vterque eſſet eiuſdem conditionis. Omnia ergo hæc illi ſummo diſpenſatori committere ſatius eſt, qui hunc humiliat, hunc exaltat. Qui eleuat de ſtercore pauperem, vt cum principibus ſolium gloriæ teneat, & deijcit de excelſo ſublimem, vt ſe cognoſcere aſſueſcat. Omnia proinde iudicia eius quæ ſemper recta ſunt & vera, (licet nobis occulta) venerari

magis oportet quàm diſcutere, & ita in omnibus agere, ſiue ſic ſiue aliter nobis proueniat, vt eius benedictam voluntatem per ſingula ſtudeamus implere, quatenus feliciter experiri mereamur, quod Apoſtolus dicit. Scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Et illud cuiuſdam ſapientis: Nihil ſub ſole fit ſine cauſa.

CAPVT. V.

De exercitijs legatorum horum.

IVcundum eſt paternos mores recolere, & eos præcipue qui in ſublime tendunt. Mirum fortaſſe quibuſdam videbitur, cur hoc munere VVeſtphali frequenter gaudeant, vt præter ſpem ad alta prouehantur. Hic attendant pia corda, & diuinam clementiam admirando venerentur, qui de ſtercore eleuat pauperes, & conſolatur deſolatos. Datur præcellens autoritas in orbe his, qui ipſa vita putantur indigni: & præcipiunt ingenuis, qui ad ſeruiendum fuerāt inſtituti. Sed quomodo olim Aſsyrij. Medi.

Medi, Perſæ, Græci & Romani, ſucceſ-
ſiue dominium in orbe multo labore
acquiſierunt, ita & iſti in orbe proficiũt,
non tamen violentia, ſed beneuolentia:
non coactione: ſed prouocatione: non
arrogatione, ſed patientia. Hæc eſt enim
illa nobilis antiqua & ſenilis ſententia,
quam Saluſtio teſte, Micipſa rex Numi-
diç in ſuo teſtamento filijs ſuis & Iugur-
tæ reliquit, dicens. *Amici quos neque ar-
mis cogere, neque auro parere queas, officio & fi-
de pariuntur.* Et Romana ſanctio in idem
confluit, malle videlicet habere ami-
cos quibus ſeruiant, quàm ſubiectos
quibus imperent. Et omnibus ſocijs ſuis
ac regibus Romani conſuluerunt, vt ſu-
am magis amicitiam, quàm arma expe-
riri ſtuderent. Pulchra verba dictuque
facilia, praxis aut rara. Reuolue altilo-
qua illum magnorum eloquia, pulcher-
rimaſque de virtutum exercitijs doctri-
nas, & inuenies fœdum atque infau-
ſtum finem. Non te Liuij fallat au-
ctoritas, non Flori ſententia, quòd
tempore paupertatis nuſquam alter lò-
cus Roma ſanctior, nec bonis ex-

emplis ditior. Et quanto rerum minus habuit, tanto minus cupiditatis habebat. Quoniam vt ijdem ipſi teſtantur, diuitiæ & nimia rerum abundantia ipſam corruperunt, & dolos, luxuriam, auariciam, cæteraque vitia, maximè ſuperbiam ambitionemque induxerũt. Contraxerunt etiam ab vniuerſo mũdo tantam inuidiam, & inter ſe diſcordiam, vt in bello hoſtes, in pace ciues occiderent, vnuſque alium mirabiliter trucidaret. Sicque factum eſt, vt proprias ſententias tranſgrederentur, & paulatim fauorem populi, cum orbis dominio perderent. At longe aliter noſtris legatis animus eſt, quippe qui non armis, neque diuitijs, aut fortunæ arriſu nituntur, ſed fideli obſequio, virtutique cui omnia parent, Saluſtio etiam teſte, & nouerunt Ariſtotelis documento. Neminem repente fieri ſummum. Hoc etiam vno cæteris quodammodo hominibus præſtãt VVeſtphali, quod ante tempus debitum nunquam dominia expetant. Non imitantur Phaethontem, non Icarum, non Marſiam, de quibus Pœtæ.

Omni

Omni carent petulantia, patientia roborantur, & hac ſola herba tamquã ambroſia veſcuntur, & labore duriſsimo ſudoribuſque in terram ſæpe defluentibus, nõ minus quàm nectare delectantur. Habet enim hoc beneuola conuerſatio, vt plurimos in gratiam ſui trahat, & dum cunctis prodeſſe cupit, facile proximum ſibi reſeruire cogat. Mirantur ergo nonnulli præfatos Romanorum monarchas grandia feciſſe, triumphoſq; ipſorum in ſublime tollunt. Ego autem miror amplius hũc agreſtem populum ſic in orbe peregrinari, proficere, creſcere, & in omni ſtatu perpetua gratitudine caneſcere. Et de his loqui aliquanto iucundius eſt, quòd res inſperata videtur. Egreditur ergo legatus noſter forma quæ ſupra, vrbem aliquam ingreſſurus, vel caſtrum aut villam, aut aliquod huiuſmodi extra patriam domicilium, nihil ſecum deferens inſtar Apoſtolorum Chriſti, quod eũ promoueat pręter ſolã voluntatẽ obſequẽdi. Occurrit ei neſcio quis, & intuens habitũ, cõſiderat cuias ſit, & cõpaſsione motus iuuat ipſũ, vt alicubi ad aridũ

panem promerendum ſuſcipiatur. Ingreditur fortaſſe domum alicuius diuitis, ſpondet obſequium, laborare fideliter promittit: quicquid iubetur facere tentat, ad omnia voluntarius, nullorum laborum fugitans, minimus in domo, ſubiectus, & nemini non obſequioſus. Diſcurrit hinc inde, plus prõptus initio quàm vtilis. Arcadicus ſæpè, & ita rudis vt aquam deferre nequeant manibus. Omnia quæ inſolita videt, ſua vulgari lingua nominat, cunctis peregrinum vocabulum imponit. Si crateram argenteam cernit, vocat eam ſcutellam ferream, ſi amphoram ſtanneam, ſcyphũ. Si vinum Creticum bibit, coctam ex ficubus aquam putat. Lardum libentius quàm perdices comedit, etiã ſi, 50. annis pependiſſet in camino. Foderaturas varias & precioſas pelles, murilegorum autumat. Depictum in pariete leonem ridens ait, quàm longam caudam habet ille canis. Iuſſus à domino hæc aut illa facere, quæ nondum didicit, ridiculoſa pertentat, cachinnum omnibus ſuſcitat, perquirit linteum, cribrare pocula

 geſtit.

geſtit. Si tornatiles manuales afferre mandatur, rudem defert aſſerem, ſecandis caulibus aptatum. Si forpicem pro barba corrigenda dominus petit, ad ſtabulum currit, tonſorium equorum afferens. Noui quendam ita ſimplicem, vt increpatus, quare pellicium maculatum non lauiſset, ilico ad puteum properaſſe pro aqua haurienda. His & ſimilibus ineptijs irretitus, domum totã, vicinos hoſpites, alioſque occurrentes lætificat, ſinguli nouam groſsitiem iocundè admirantes. Non poteſt dominus iam gratam facere cœnam, non abſque eo pranſum ire. Circũducit oculos, vocat quem diligit anima ſua. Quod ſi præſto nõ eſt, ait: Adſit groſsiolus, diſponat ſingula nobis. Inter hæc obliuiſcitur domina mœroris ſui, adoleſcente afficitur, & eum velut idolum colere tentat. Veſtis mutatur, coma tonditur, caput in gyro raditur, mores mutantur, increpat, obſecrat, verberat, informat, coartat, mandat cum omni imperio, ſi forte aliquid honeſtatis imprimere poſsit huic ruſticano homini. cui

plus prodeſt ſancta ſimplicitas quàm cæteris ſimulata & latés ſagacitas. Quòd ſi res ex fauſto agitur, ſtatim proficit, & paulatim ruſticitate abiecta ciuilibus ornat moribus vitã. Cultri inſtar cote acuitur.

Fidele quoque ſeruitium prudenter continuat, libenter exequitur ac tandem perficit, donec cunctis ſibi traditis, exemplo Ioſeph creditam ſibi iubernet domũ. Hæc ſuprema fides eſt prima victoria quam legati noſtri patrant in orbe, quãdo dominus vix aliquid ſcit, de his quæ poſsidet, excepto pane quo veſcitur.

Sequitur dehinc cura illa grandis, quando fidelis & prudens ſeruus conſtituitur ſuper omnia bona domini ſui, cum autoritate, vt poſsit dare & recipere, emere & vendere, alienare & reuocare, abſque illius contradictione. Huic annectitur regula illa Patriarchalis, de qua ſanctus Iacob teſtificans de ſeipſo dicit.

Die noctuque æſtu vrebar & gelu.

fugie-

fugiebat ſomnus ab oculis meis. Sic per viginti annos ſeruiui, &c. De tali tetricum hoc habemus prouerbium: Sine mercede quod bene facis, non manebit. Nam ſi homines negligunt, Deus ſupplet, vt in eodem Iacob patet, qui etiam filias domini ſui in coniugium duxit. Simile contingit frequenter legatis noſtris. Deus bone quàm mirabilia ſunt opera tua in vniuerſa terra! Quot ſcimus prouincias in quibus accurate inſtituuntur pueri, ſolicite mittuntur foras, commendatitias literas cum promotionibus amicorum ſecum ferunt, & tamen ad menſuram groſsiolorum iſtorum, ſed VVeſtphalorum raro pertingunt. Delectat me his paruum exemplum inſerere.

Ante annos viginti, cum diœceſim Monaſterienſem inteſtinum bellum corriperet, multi diuites in pauperiem redacti, vicinas prouincias petiuere. Venit inter alios ad me ſororius germani mei, adoleſcens pulcher & facetus, caſtitate & probitate conſpicuus, paucos ſecum aureos

portans. Extenuati enim parentes fuerant,& ob hoc filium legarũt in orbem. Seruiuit ergo primo apud quẽdam probum dominum,ſed inopem,ita fideliter, vt plures Prælati magni certatim cuperent eius obſequio fulciri. Conſiderans autem, quòd duo miſeri pariunt vnum infelicem, & quòd in ciuili profectu oporteat hominem ad minus aut ſoluendo eſſe, aut lucroſum, applicui eum ad talem,vbi ſtatim creuit in ſublime faſtigium. Habui ingratitudinem ab vno, & grates magnas ab alio. Rediens quoque ad me, conqueſtus de patria noſtra fui, ſed ipſe ſubito intulit: bellum mihi bonum fecit, non vellem me feliciorẽ optare. Iã enim nihil à domino differebat, niſi ſolo prælationis titulo. Sic ſe mutuo dilexerant, vt omnia eſſent eis communia. Sed ſæua mors eum abſtulit diuturniore vita digniſsimum. Triſtatur dominus vſq; ad animam, publice obteſtans, pro omniũ fratrum ſuorum obitu non ſic poſſe ſe deſtitui. Nulla igitur gaza, nulla arma hoc vnquam potuere, quod ſyncera dilectio,& labor officioſus.

CAPVT VI.

De multiplici patientia legatorum iſtorum.

EXperiētia felici didicimus in ſanctis martyribus noſtris, quod patientia pauperum non peribit in finem. Et hæc etiam conſideratio aliqualiter extendi poteſt ad præfatos emiſſarios, quorum maior pars vitæ continuum martyrium eſt. Vnde bene eſt eis fauendum, ſi poſt tam diuturnos & fideles labores, aliquid gloriæ vel diuitiarum hauſerint in ſenecta, quia hæc regula diuinitatis eſt, dicente ſcriptura: Coram cano capite ſurge, & honora vultum ſenioris. Et iterum: Dignus eſt operarius mercede ſua.

Huius exemplum vidi in quodam canonico cuiuſdam metropolitanæ Eccleſiæ, qui tēpore iuuentutis humillime ſeruiuit vſque ad virilem ætatem, ſed deinceps in delicijs & gloria fuit cum omni ſobrietate & honeſtate. Aliquando in menſa eius fui, & vſque hodie memor ſum bonarum doctrinarum, quas ab eo accepi. Dixit enim inter cætera: Chare mi,

mi, ego non habeo, neque ex diuitijs, neque ex nobilitate quicquàm, ſed dilectus dominus Deus prouidit mihi, quod in hac ſolemni eccleſia ad canonicatum promouerer &c. Iam enim ex auro bibebat, & foderatas veſtes portans, inter duces & comites conſpicuus videbatur, nihilominus cum multa gratitudine memor fuit priſtinæ humilitatis, quod maxime probandum eſt in omni homine. quàm iucunda hæc prophetia illi fuiſſet, ſi quis tempore egreſsionis primæ vel in domo paterna hæc prædixiſſet: Hic principum contubernalis erit, huic ad menſam recumbenti nobiles, & lecto ęgrotāti comitiſſę ſedulo ſeruient: quàm inſperatè hoc ſonuiſſet in auribus eius, præſertim ſi adieciſſet, coram iſto Electores Imperij adhuc capitia ſua deponent. Et tamen omnia hæc ita vidimus impleta. Sed ipſe vir ſapientiſsimus, & magnus ex minimo effectus, ad honorē verecūdus, ad ſeruitia ſibi exhibita pauidus fuit, maluit honorare, quàm honorari, ſeruire quàm ſeruire, quod ingenue cōplexionis eſt ſignū. Ex quo accidit vt quo-

noſior fiat, eo ſit venerabilior & gratior. Hoc namque inter mortales difficilimum eſt, gloria inuidiam vincere, aut glorioſum eſſe, & inuidorum inſectationem non perpeti. Huc accedant plateales domicelii noſtri, & omnes per totum orbem petulantes adoleſcentuli, qui larga patrimonia dilapidant, qui cuneos ante comedunt, & poſtea panem furfureum vix inueniunt: accedant & huic viro memorabili cæteriſque ſimilibus ſe comparent. Hic tugurio exili oriundus ita in mundo vixit, vt cunctis honorabilis abſque omni querela proficeret, gloriam domus Dei non ſolum in clenodijs proueheret, verum etiam nouas ſtructuras erigeret. Vos autem de ſublimi quotidie ruentes de malo in peius, tandem vitam excedendo, poſteris præter fœtorem nil relinquitis.

De mechanicis ferme tacuiſſem, quantum ſudorem, quantum laborem inueniunt, antequam officium diſcant inſuetum. Videbis fortaſſe

ali-

aliquem ex his ad argentarium confluere, præſumens agreſtes manus, quas prouidentia ſulcandis ceſpitibus aptarat, fulgentibus metallis, gemmiſque radiantibus applicare. Proh ſuperi quot peregrinos ictus fulminat noſter rudiolus in manſueta (vt ſic dicam) metalla, quot curuas trahit lineas, quot gēmas oblique dijudicat? Sed nō impune. Sicut enim alijs facit, ſic fit ſibi. Percutit & percutitur, trahit & trahitur, iudicat & dijudicatur, immo acerbè corripitur & increpatur. Volat preceptoris pugnus in dorſum, palma in maxillam. Digiti auriculas fatigant, capillos euellunt. Os repletur increpationibus, conuicijs tumet. Reuertere, inquit, tu miſerabilis beſtia, tu obtriſtate aſine, ad porcos paſcendōs. O tu bufonice VVeſtphale, quid huc venire voluiſti, qui groſsior es, quàm fabarū ſtramen? Vſque quo patiar te? vſquequo pudori eris officinę meę operarię? quam diu pauor inſtrumentis? Iam hoc, iam illud fregiſti, iam cuncta que docui neglexiſti.

In omnibus his ille adhuc ineptus & inſul-

inſulſus, manet inexpugnabilis & inperterritus. Sed audiamus quæ ſequantur. Noctes ducet inſomnes, nihil deſperās, & nulli obiraſcens, veluti naturaliter ſciens, quòd labor improbus omnia vincat. Vidimus de his profeciſſe quoſdam, & ita inualuiſſe, vt Baronum inſtar ſtipata famulorum caterua templa peterent. Erat eis veſtitus de panno precioſiſsimo, pellibus multicoloribus ornatiſsimè ſubductis: poſſederant & omnia quæ ad omnem magnificentiam ſpectant. Stupui adhuc, præſertim cum quēdām de ſocijs noſtris quotidiana tectum toga ſucclamantem ſerioſius audiſſem: Iſti ſunt ſerui patris mei. Sed nos ad ceruiſiam reuerſi, inter nudos parietes friguimus, pauculas portiones quas facultas habere potuit inſumentes, ipſi verò in laqueatis triclinijs tremulas pultes, iura glauca, ſpecigeras dapes guſtando, etiam peregrina pocula in argento ſordebant. Nil nobis profuit ingenuitas, nihil contulit libertas, aut ſolēnior emiſſio, quin potius Altiſsimo ſupremas grates reddidiſſemus, ſi quæ narrauimus, in-

vaſcu-

vaſculis ligneis amphoriſq; terreis, affuiſſent per ſingulos dies. Nō laudo pompā nimis prodigā, non ridiculoſam iactantiam, non epulas infauſtas, quippè quæ recidiuandi occaſionem velociter præbent, ſed myſterium patientiæ intueor.

Non infimam laudem hæc habet, Seneca teſtante, qui ait, Virilis animi robur eſt, ſcire verba deuorare. Sed non minus eſt poſt fortunæ arriſum, ſe intra ſe continere, & non ambulare in mirabilibus ſupra ſe. Magis ergo placet quod nuper à tribus audiui, incedere videlicet ea forma quam à parentibus didicerunt, ne pauoni quis ſimilis aut gruibus eſſe comprobetur. Vidi (inquit vnus eorum) talia in precioſiſsimis veſtibus pericula, vt me non delectet huiuſmodi portare. Demum pauperes omittere non decet, ſed aliquid pro ipſorum conſolatione apponere.

Non enim omnes legati noſtri ad primorum proficiunt ſtatum, ſed quidam ſicut intra, ita extra prouinciam in ſudore quærunt panem. Reperi vnum de his-

his in Dauentria, qui molarem manibus traxit pro ordeo frangendo, cui hoc ad magnam laudem aſcribebat, quod pauperculam matrem longe poſitam nutriebat, de his quæ victui ſuo ſupereſſe potuerant.

Alius quidam à facie gladij fugiens, in Metim ciuitatem peruenit. Occurrens autem cuidam, in famulum conductitium aſſumptus fuerat per aliquot dies. Horum hæc aut conſimilis ratiocinatio extitit: Mandat Dominus hæc & illa homini ſimplici & ſine felle. Facit omnia, & plus quam imperabatur, ac melius, ducitur ad menſam, ponitur vinum, paniſque cribratus cum ferculis ſolitis. Pauet famulus, attingere non audet, ſecum an ioco agatur, an ſerio, perquirit.

Animatus à familia guſtat cũ cæteris, numquam ſe talibus refectum iurat. Venitur ad veſperam, iterum refectus, manum extendere iubetur, vt nummos recipiat. Iam qui faciem ſeruuli videret, mente exhilararetur. Stupet poſt vina & epulas pro modico opere argen-

argentum largiri. Quid putas nox illa peperit? Manet dominus abſque ſomno, timens ne alter groſſolum præripiat. Infauſtum formidat famulus nuncium, ne locus ſuus alteri deputetur. Crepuſculũ in deſiderio eſt. Tãdem poſt aſſuefactionem dicunt: Hannike, vis ne redire in patriam tuam? At ille. Non ego in bona fide. Oporteret me ibi eſſe ſeruum, & alteri proprium, ac duriſsima quæque perpeti, comedere panem nigrum, & ptiſanam bibere. Ego volo hic manere &c. O populum dignum orbis contubernio, qui ita noſti filios educare, vt cũctis prouincijs apti ſint. O præclara virtus patientiæ, quæ etiam de minimis docuiſti homines reddere grates deo.

CAPVT VII.

De affinitate VVeſtphaliæ ad cæteras prouincias.

DEbitores ſumus principaliter Deo, parentibus, & patriæ. Ex his enim eſſe habemus, educationem & conſeruationem. Deinde amicis & benefactoribus,

bus, ſine quibus nullus eligeret viuere ſuper terram, quia teſte Tullio, *Nihil eſt dulcius quàm habere amicum, cũ quo ſic omnia loqui audeas vt tecum.* Poſt iſtos vero illis obligamur, qui ex eis nati ſunt, & qui proximis, eo amplius. Obligatio autem hæc ſiue debitũ quatuor reſpicit, ſcilicet honorem, amorem, ſuffragium, & ſolatium. Prima duo creatorem attẽdunt primo & principaliter. Secunda duo, proximum, tamen ſimul quodammodo omnibus impendenda ſunt. Cum ergo VVeſtphalia cognationem ſpecialem habeat cum omnibus prouincijs, reſtat ſecundũ verum dictamen rationis, quid ſingulæ prouinciæ VVeſtphaliam ſpecialiter venerari & amare teneantur, & ei ſuffragium & ſolatium impendere, prout res poſtulat & tempus permiſerit. Rurſum quia VVeſtphalia omnium prouinciarum beneficia participat, ſequitur quis eas honorare & amare debeat, ac bonum ipſarum omni tempore promouere. Quod ſi vbique non poterit, tamen in bona voluntate obligata manebit. Generaliter vero omnes chriſtiani ſibi

mutuo in his viciſsitudinem reddere tenentur, & alter alterius ſubſtantiam & famam non lædere, ſed ſaluare.

Vt autem oſtendamus hanc affinitatẽ per orbem diffuſam, occurrunt duo exempla in duabus illuſtribus domibus VVeſtphaliæ, quæ hodie cunctis principibus chriſtianitatis ſanguine cõiunctæ ſunt. Vna eſt de Marka, quæ comitem habet inclytum ducem Cliuenſium, cuius pater VVeſtphalico ſanguine oriundus fuit, quamuis domicellus Gherardus germanus ipſius, eundem comitatum habuerit ad dies vitæ ſuæ. Hic dominus dux Ioannes & comes, nepos eſt magnifici Domini Caroli ducis Burgundię, cuius induſtrioſa poteſtas hodie cunctis prouincijs nunciatur ad correctionem omnium animarum errantium. Altera eſt de Rauſenberch quæ habet comitem dominum Gherardum ducem Montenſem & Iuliacenſem, qui natione VVeſtphalus cum imperiali ſtirpe Saxonum connubia iunxit, quæ ducibus Bauarorum, Auſtralium, Micenenſium, Haſſonum, Brandeburgenſium, & a-

& aliarum illuſtrium domorum affinitatem ſemper proxima fuit. De reliquis generoſis ſtirpibus VVeſtphaliæ, quales extra prouinciam crebro principes habuerint, longum eſt differere. Vnum ſcio epiſcopum tantæ probitatis exſtitiſſe, vt quædam potens diœceſis ipſum requireret & eligeret, atque defenſaret cum grandi periculo & damno ſuo, contra alium de ſua diœceſi progenitum.

Facile nunc ad inferiores parum deſcēſus, & ratio in promptu eſt. Cum enim VVeſtphalia mittat natos ſuos in orbem à diebus antiquis, & non vt cęterę nationes, ſcilicet remeandi in patriam gratia, ſed vt maneant vbicunque ſibi commodum repererint, ipſique in omnibus matrimonia contrahant locis: ſequitur, quòd non faciliter homo recti exēpli & ſermonis ſolidi affirmare audebit, ſe nullam venam VVeſtphalici ſanguinis traxiſſe à progenitoribus ſuis. Quòd ſi hodie quis nihil de talibus ſciuerit, rem ipſam perpendat, & vero verius eſſe intelliget, ipſos VVeſtphalos ab an-

nis mille & vltra fungi per orbis climata ſibi ſolita legatione, vixque magni eſſe nominis in magna ciuitate hominem qui nihil cum VVeſtphalo ſanguinis cõmune habeat. Reſtat igitur vt omnes hanc generoſam prouinciam honorent ac diligant, quaſi progenitricem ſuam, vel ad minus affinem ſuorum progenitorum ſecundũ veriſimilem coniecturã.

Reſtat, vt cuncti VVeſtphalico ſolo progeniti, omnes prouincias mundi venerentur, & ſpecialiter ament, tanquam ſuorum ingenuorum exulum gratioſas receptrices atque promotrices. Quis enim ex nobis cum ſecura conſcientia dicere audebit? Nemo vnquã ex meo ſanguine illam vel illam regionẽ intrauit, aut munuſcula inde recepit, aut participauit eiſdem? Habet hoc generoſus animus, vt ad gratitudinem paratus ſit, & crebro, priuſquàm beneficijs præueniatur, gratitudinis formã prætẽdat. Quòd ſi quis ita extremi ingenij ſit, vt hæc non capiat, noſtra beneuolentia citius compati aſſueuit, quàm indignari.

Veruntamen quod cœpimus proſequamur.

mur, Domino Apoſtolico cum ſuis Cardinalibus ac curiali frequentiæ ſupremas grates reddimus, qui ſequenter noſtros exules recipit fame ac frigore attritos, & cum gloria ſummoq́ue apparatu remittit. Dominis Patriarchis, Archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, collegijs, monaſterijs, cæteriſq́ue perſonis eccleſiaſticis, has ipſas referimus, aut ad minus habemus, qui idipſum per omnia faciunt, aut ſecum eos retinentes, aut prælatos collaterales conſtituentes.

Domino Imperatori multas tribuat pijſsimus deus felicitates, cuius aquilaris & eleuata ſuper omnes magnificentia pauperes VVeſtphalos non deſpicit, ſed eos paſsim recipit, & quoſdam comites palatij, quoſdã ſecretarios, quoſdam taxatores auguſtalium litterarum, ſigillorum cauſarum, præuilegiorum, aliorumq́ue qui tantæ celſitudini congruunt, gratioſe creat Dominus, regibus, ducibus, marchionibus, comitibus, domicellis, illuſtribus, baronibus, militibus, curialibus, droſatis, præfectis, maioribus, cæteriſq́ue qui ſe-

cualrem ſtatum regunt, æque bene faciat Deus, ac ipſi cum noſtris exulibus faciunt, gratiam ſuper gratiam præſtantes, honoribus honores cumulantes. Prouincias vniuerſas dirigat Deus in bonum, & multa felicitate reficiat, quomodo non abijciunt inopes neque deſpiciunt deſolatos.

Verum enimuero extollamus in cælum Coloniam noſtram doctiſsimorum ſapientiſsimorumq; virorũ gloria ſemper famatã, qui non leuem, ſed ſolidam ſemper diſciplinam excoluere, & nequiſsimos hæreticos, Iudæorumq; ſordidiſsimos amatores fortiter conſtanterq; ſupplãtarunt. O beata & inclyta vrbs vrbium Colonia, quot pannoſos, gementes, deſolatos, & flentes VVeſtphalos ſuſcepiſti, eoſque clementer educaſti? donec ſerico veſtitos, alios conſules, alios ciuilium contuberniorum magiſtros efficeres. Benedicta ſit, Geldrientiũ, Cliuenſium, Iuliacenſium, Brabantinorum, Flandrinorum, zelandinorum, Hollandinorum, Traiectenſium, Friſonum, Haſſonum, aliorumque in circuitu populo-

rum

rum natio, quomodo bene agitur cũ peregrinis noſtris apud vos, & dum de panibus veſtris guſtauerint, redire diſsimulabunt.

Experimento etiam didicimus, quod longe amplius vos noſtros, quã nos veſtros hoſpites ſuſcipitis. Nobilis tu Anglia & ab antiquo cognata, in æuũ ſis Domino Deo recõmendata, quoniam nedũ noſtrates apud te ditas, ſed vltro, cum nobilibus rebus precioſiſsimaque ſupellectili tranſmittis. Francia, plebs ingenua, te protegat Deus, quæ noſtris ſeruis es ſalutis portus, & inſtituendis nobilibus virtutis forma. Præcellens Saxonia mater noſtra & Domina, tibi iugiter bene ſit in mari & in terra, quæ legatos noſtros tibi ipſi æquas, hodieque in Auguſtali vrbe Lubeck ſororij mei auunculum auro veſtis, ac perpetuo conſulatu nobilitas. Turingia, Polonia, Hungaria, Sueuia, Rhenique prouincia tota nobiliſsima & optima, grates habeãt multas, quoniam gratioſe præfert nuncios quos miſimus, & cohæredes facultatum ſuarum facit. Quomodo amplificabimus

Pruſciam. & Liuoniam? Quæ gens illic proficit vt noſtra. Qui principes, qui iubernatores vrbium, niſi legati noſtri, aut ex illis progeniti? Daija, Suetia, Norvvegia, ceteraque vltrámarina loca, benedictionem accipiat à Domino, quoniam tenues legatos noſtros ditare ſolent. Solennis tu Venetorum prædominans poteſtas vale, & ſolito more legatos noſtros inter optimates tuos & decemuiros conſcribere ne diffidas. Honorata tu Italia, Hiſpania, Scotia, hybernia, cæteræque nationes Europæ in Domino florete, & cum ad gloriam veſtram humiles noſtri legati aduenerint, ea qua decet pietate ſuſcipite, ſperantes quod ad introitum ipſorum benedictionem procul dubio conſequimini. Vos quoq; abruptiſsimæ petræ & ſaxei montes, cũ alijs prouincijs ſterilibus gratias nobis agite, quoniam vbi nec auicula habitare appetat, illic noſtri dignanter peregrini commorãtes, veſtram deſolationem exornant. Aſia & Africa heu dignæ non ſunt, vt hodie per noſtros legatos viſitẽtur, niſi forte peregrinationis aut negotia-

tiationũ gratia, eo quod non lex, ſed fex impij Mahometi illas optimas regiones fædauerit. Redite igitur, redite & fidei iugo colla ſubijcite, & dignam poteſtatem apud vos exerceant exules noſtri, quam fidele obſequium ſapientes nuncupant, cuius ope nunquam prouinciæ deſtituuntur, ſed ſemper proficiunt in melius.

CAPVT VIII.

De ſanctis & illuſtribus perſonis, & reliquijs terræ noſtræ.

CVm VVeſtphaliæ conditionem, & naturã illius populi indagare cupiuimus, per multas prouincias longius euagati ſumus. Sed nunc pedem retrahere placet, & ad ipſam recurrere, aliqua ſaltem enarrando, quę in ea memoria digna habentur vel aguntur. Et primum de ſanctis & illuſtribus hominibus vtriuſque ſexus illic ortis, aut reliquijs aliunde tranſlatis. Vnde in primis occurrit memoria ſanctorum martyrum duorum

aliquem ex his ad argentarium confluere, præſumens agreſtes manus, quas prouidentia ſulcandis ceſpitibus aptarat, fulgentibus metallis, gemmiſque radiantibus applicare. Proh ſuperi quot peregrinos ictus fulminat noſter rudiolus in manſueta (vt ſic dicam) metalla, quot curuas trahit lineas, quot gẽmas oblique dijudicat? Sed nõ impune. Sicut enim alijs facit, ſic fit ſibi. Percutit & percutitur, trahit & trahitur, iudicat & dijudicatur, immo acerbè corripitur & increpatur. Volat preceptoris pugnus in dorſum, palma in maxillam. Digiti auriculas fatigant, capillos euellunt. Os repletur increpationibus, conuicijs tumet. Reuertere, inquit, tu miſerabilis beſtia, tu obtriſtate aſine, ad porcos paſcendos. O tu bufonice VVeſtphale, quid huc venire voluiſti, qui groſsior es, quàm fabarũ ſtramen? Vſque quo patiar te? vſquequo pudori eris officinę meę operarię? quam diu pauor inſtrumentis? Iam hoc, iam illud fregiſti, iam cuncta que docui negleXiſti.

In omnibus his ille adhuc ineptus & inſul-

inſulſus, manet inexpugnabilis & inperterritus. Sed audiamus qua ſequantur. Noctes ducet inſomnes, nihil deſperãs, & nulli obiraſcens, veluti naturaliter ſciens, quòd labor improbus omnia vincat. Vidimus de his profeciſſe quoſdam, & ita inualuiſſe, vt Baronum inſtar ſtipata famulorum caterua templa peterent. Erat eis veſtitus de panno precioſiſsimo, pellibus multicoloribus ornatiſsimè ſubductis: poſſederant & omnia quæ ad omnem magnificentiam ſpectant. Stupui adhuc, præſertim cum quendãm de ſocijs noſtris quotidiana tectum toga ſucclamantem ſerioſius audiſſem: Iſti ſunt ſerui patris mei. Sed nos ad ceruiſiam reuerſi, inter nudos parietes friguimus, pauculas portiones quas facultas habere potuit inſumentes, ipſi verò in laqueatis triclinijs tremulás pultes, iura glauca, ſpecigeras dapes guſtando, etiam peregrina pocula in argento ſordebant. Nil nobis profuit ingenuitas, nihil contulit libertas, aut ſolénior emiſſio, quin potius Altiſsimo ſupremas grates reddidiſſemus, ſi quæ narrauimus, inuaſcu-

vaſculis ligneis amphoriſq; terreis, affuiſſent per ſingulos dies. Nō laudo pompā nimis prodigā, non ridiculoſam iactantiam, non epulas infauſtas, quippè quæ recidiuandi occaſionem velociter præbent, ſed myſterium patientiæ intueor.

Non infimam laudem hæc habet, Seneca teſtante, qui ait, Virilis animi robur eſt, ſcire verba deuorare. Sed non minus eſt poſt fortunæ arriſum, ſe intra ſe continére, & non ambulare in mirabilibus ſupra ſe. Magis ergo placet quod nuper à tribus audiui, incedere videlicet ea forma quam à parentibus didicerunt, ne pauoni quis ſimilis aut gruibus eſſe comprobetur. Vidi (inquit vnus eorum) talia in precioſiſsimis veſtibus pericula, vt me non delectet huiuſmodi portare. Demum pauperes omittere non decet, ſed aliquid pro ipſorum conſolatione apponere.

Non enim omnes legati noſtri ad primorum proficiunt ſtatum, ſed quidam ſicut intra, ita extra prouinciam in ſudore quærunt panem. Reperi vnum de his

his in Dauentria, qui molarem manibus traxit pro ordeo frangendo, cui hoc ad magnam laudem aſcribebat, quod pauperculam matrem longe poſitam nutriebat, de his quæ victui ſuo ſupereſſe potuerant.

Alius quidam à facie gladij fugiens, in Metim ciuitatem peruenit. Occurrens autem cuidam, in famulum conductitium aſſumptus fuerat per aliquot dies. Horum hæc aut conſimilis ratiocinatio extitit: Mandat Dominus hæc & illa homini ſimplici & ſine felle. Facit omnia, & plus quam imperabatur, ac melius, ducitur ad menſam, ponitur vinum, paniſque cribratus cum ferculis ſolitis. Pauet famulus, attingere non audet, ſecum an ioco agatur, an ſerio, perquirit.

Animatus à familia guſtat cũ cæteris, numquam ſe talibus refectum iurat. Venitur ad veſperam, iterum refectus, manum extendere iubetur, vt nummos recipiat. Iam qui faciem ſeruuli videret, mente exhilararetur. Stupet poſt vina & epulas pro modico opere

argen-

argentum largiri. Quid putas nox illa peperit? Manet dominus abſque ſomno, timens ne alter groſſolum præripiat. Infauſtum formidat famulus nuncium, ne locus ſuus alteri deputetur. Crepuſculũ in deſiderio eſt. Tãdem poſt aſſuefactionem dicunt: Hannike, vis ne redire in patriam tuam? At ille. Non ego in bona fide. Oporteret me ibi eſſe ſeruum, & alteri proprium, ac duriſsima quæque perpeti, comedère panem nigrum, & ptiſanam bibere. Ego volo hic manere &c. O populum dignum orbis contubernio, qui ita noſti filios educare, vt cũctis prouincijs apti ſint. O præclara virtus patientiæ, quæ etiam de minimis docuiſti homines reddere grates deo.

CAPVT VII.

De affinitate VVeſtphaliæ ad cæteras prouincias.

DEbitores ſumus principaliter Deo, parentibus, & patriæ. Ex his enim eſſe habemus, educationem & conſeruationem. Deinde amicis & benefactoribus,

bus, ſine quibus nullus eligeret viuere ſuper terram, quia teſte Tullio, *Nihil eſt dulcius quàm habere amicum, cũ quo ſic omnia loqui audeas vt tecum.* Poſt iſtos vero illis obligamur, qui ex eis nati ſunt, & qui proximis, eo amplius. Obligatio autem hæc ſiue debitũ quatuor reſpicit, ſcilicet honorem, amorem, ſuffragium, & ſolatium. Prima duo creatorem attẽdunt primo & principaliter. Secunda duo, proximum, tamen ſimul quodammodo omnibus impendenda ſunt. Cum ergo VVeſtphalia cognationem ſpecialem habeat cum omnibus prouincijs, reſtat ſecundũ verum dictamen rationis, quid ſingulæ prouinciæ VVeſtphaliam ſpecialiter venerari & amare teneantur, & ei ſuffragium & ſolatium impendere, prout res poſtulat & tempus permiſerit. Rurſum quia VVeſtphalia omnium prouinciarum beneficia participat, ſequitur quis eas honorare & amare debeat, ac bonum ipſarum omni tempore promouere. Quod ſi vbique non poterit, tamen in bona voluntate obligata manebit. Generaliter vero omnes chriſtiani ſibi

mutuo

& aliarum illuſtrium domorum affinitatem ſemper proxima fuit. De reliquis generoſis ſtirpibus VVeſtphaliæ, quales extra prouinciam crebro principes habuerint, longum eſt differere. Vnum ſcio epiſcopum tantæ probitatis exſtitiſſe, vt quædam potens diœceſis ipſum requireret & eligeret, atque defenſaret cum grandi periculo & damno ſuo, contra alium de ſua diœceſi progenitum.

Facile nunc ad inferiores parum deſcẽſus, & ratio in promptu eſt. Cum enim VVeſtphalia mittat natos ſuos in orbem à diebus antiquis, & non vt cęterę nationes, ſcilicet remeandi in patriam gratia, ſed vt maneant vbicunque ſibi commodum repererint, ipſique in omnibus matrimonia contrahant locis: ſequitur, quòd non faciliter homo recti exẽpli & ſermonis ſolidi affirmare audebit, ſe nullam venam VVeſtphalici ſanguinis traxiſſe à progenitoribus ſuis. Quòd ſi hodie quis nihil de talibus ſciuerit, rem ipſam perpendat, & vero verius eſſe intelliget, ipſos VVeſtphalos ab an-

nis mille & vltra fungi per orbis climata ſibi ſolita legatione, vixque magni eſſe nominis in magna ciuitate hominem qui nihil cum VVeſtphalo ſanguinis cõmune habeat. Reſtat igitur vt omnes hanc generoſam prouinciam honorent ac diligant, quaſi progenitricem ſuam, vel ad minus affinem ſuorum progenitorum ſecundũ veriſimilem coniecturã.

Reſtat, vt cuncti VVeſtphalico ſolo progeniti, omnes prouincias mundi venerentur, & ſpecialiter ament, tanquam ſuorum ingenuorum exulum gratioſas receptrices atque promotrices. Quis enim ex nobis cum ſecura conſcientia dicere audebit? Nemo vnquã ex meo ſanguine illam vel illam regionẽ intrauit, aut munuſcula inde recepit, aut participauit eiſdem? Habet hoc generoſus animus, vt ad gratitudinem paratus ſit, & crebro, priuſquàm beneficijs præueniatur, gratitudinis formã prætẽdat. Quòd ſi quis ita extremi ingenij ſit, vt hæc non capiat, noſtra beneuolentia citius compati aſſueuit, quàm indignari.

Veruntamen quod cœpimus proſequamur.

mur, Domino Apoſtolico cum ſuis Cardinalibus ac curiali frequentiæ ſupremas grates reddimus, qui ſequenter noſtros exules recipit fame ac frigore attritos, & cum gloria ſummoque apparatu remittit. Dominis Patriarchis, Archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, collegijs, monaſterijs, cæteriſque perſonis eccleſiaſticis, has ipſas referimus, aut ad minus habemus, qui idipſum per omnia faciunt, aut ſecum eos retinentes, aut prælatos collaterales conſtituentes.

Domino Imperatori multas tribuat pijſsimus deus felicitates, cuius aquilaris & eleuata ſuper omnes magnificentia pauperes VVeſtphalos non deſpicit, ſed eos paſsim recipit, & quoſdam comites palatij, quoſdã ſecretarios, quoſdam taxatores auguſtalium litterarum, ſigillorum cauſarum, præuilegiorum, aliorumque qui tantæ celſitudini congruunt, gratioſe creat Dominus, regibus, ducibus, marchionibus, comitibus, domicellis, illuſtribus, baronibus, militibus, curialibus, droſlatis, præfectis, maioribus, cæteriſque qui ſe-

cualrem ſtatum regunt, æque bene faciat Deus, ac ipſi cum noſtris exulibus faciunt, gratiam ſuper gratiam præſtantes, honoribus honores cumulantes. Prouincias vniuerſas dirigat Deus in bonum, & multa felicitate reficiat, quomodo non abijciunt inopes neque deſpiciunt deſolatos.

Verum enimuero extollamus in cælum Coloniam noſtram doctiſsimorum ſapientiſsimorūq; virorū gloria ſemper famatā, qui non leuem, ſed ſolidam ſemper diſciplinam excoluere, & nequiſsimos hæreticos, Iudæorumq; ſordidiſsimos amatores fortiter conſtanterq; ſupplātarunt. O beata & inclyta vrbs vrbium Colonia, quot pannoſos, gementes, deſolatos, & flentes VVeſtphalos ſuſcepiſti, eoſque clementer educaſti? donec ſerico veſtitos, alios conſules, alios ciuilium contuberniorum magiſtros efficeres. Benedicta ſit, Geldrientiū, Cliuenſium, Iuliacenſium, Brabantinorum, Flandrinorum, zelandinorum, Hollandinorum, Traiectenſium, Friſonum, Haſſonum, aliorumque in circuitu populorum

rum ratio, quomodo bene agitur cũ peregrinis noſtris apud vos, & dum de panibus veſtris guſtauerint, redire diſsimulabunt.

Experimento etiam didicimus, quod longe amplius vos noſtros, quã nos veſtros hoſpites ſuſcipitis. Nobilis tu Anglia & ab antiquo cognata, in æuũ ſis Domino Deo recõmendata, quoniam nedũ noſtrates apud te ditas, ſed vltro, cum nobilibus rebus precioſiſsimaque ſupellectili tranſmittis. Francia, plebs ingenua, te protegat Deus, quæ noſtris ſeruis es ſalutis portus, & inſtituendis nobilibus virtutis forma. Præcellens Saxonia mater noſtra & Domina, tibi iugiter bene ſit in mari & in terra, quæ legatos noſtros tibi ipſi æquas, hodieque in Auguſtali vrbe Lubeck ſororij mei auunculum auro veſtis, ac perpetuo conſulatu nobilitas. Turingia, Polonia, Hungaria, Sueuia, Rhenique prouincia tota nobiliſsima & optima, grates habeãt multas, quoniam gratioſe præfert nuncios quos miſimus, & cohæredes facultatum ſuarum facit. Quomodo amplificabimus

Pruſciam. & Liuoniam? Quæ gens illic proficit vt noſtra. Qui principes, qui iubernatores vrbium, niſi legati noſtri, aut ex illis progeniti? Daija, Suetia, Norvvegia, ceteraque vltrámarina loca, benedictionem accipiat à Domino, quoniam tenues legatos noſtros ditare ſolent. Solennis tu Venetorum prædominans poteſtas vale, & ſolito more legatos noſtros inter optimates tuos & decemuiros conſcribere ne diffidas. Honorata tu Italia, Hiſpania, Scotia, hybernia, cæteræque nationes Europæ in Domino florete, & cum ad gloriam veſtram humiles noſtri legati aduenerint, ea qua decet pietate ſuſcipite, ſperantes quod ad introitum ipſorum benedictionem procul dubio conſequimini. Vos quoq; abruptiſsimæ petræ & ſaxei montes, cũ alijs prouincijs ſterilibus gratias nobis agite, quoniam vbi nec auicula habitare appetat, illic noſtri dignanter peregrini commorãtes, veſtram deſolationem exornant. Aſia & Africa heu dignæ non ſunt, vt hodie per noſtros legatos viſitẽtur, niſi forte peregrinationis aut negotia-

tiationũ gratia, eo quod non lex, ſed fex impij Mahometi illas optimas regiones fædauerit. Redite igitur, redite & fidei iugo colla ſubijcite, & dignam poteſtatem apud vos exerceant exules noſtri, quam fidele obſequium ſapientes nuncupant, cuius ope nunquam prouinciæ deſtituuntur, ſed ſemper proficiunt in melius.

CAPVT VIII.

De ſanctis & illuſtribus perſonis, & reliquijs terræ noſtræ.

CVm VVeſtphaliæ conditionem, & naturã illius populi indagare cupiuimus, per multas prouincias longius euagati ſumus. Sed nunc pedem retrahere placet, & ad ipſam recurrere, aliqua ſaltem enarrando, quę in ea memoria digna habentur vel aguntur. Et primum de ſanctis & illuſtribus hominibus vtriuſque ſexus illic ortis, aut reliquijs aliunde tranſlatis. Vnde in primis occurrit memoria ſanctorum martyrum duorum

Evvaldorum, qui in parochia Laer ſuperius nominata apoſtolatum ſuum inchoauerunt. Hanc reor primiceriam quo ad fidem totius VVeſtphaliæ: quod ſic patet, quia ante Carolum quaſi centum annis vixerunt, & prædicando certa indicia reliquerunt in ea primitiuæ conuerſionis ſuæ, quæ permanent vſque in præſens. Ego nihil certius, nihil vetuſtius reperire potui. Horum capita habentur in eccleſia maiori Monaſterienſi. Poſt iſtos ſequitur ſanctus Lebuinus, qui etiam in diuerſis locis publicè prædicauit, & eius reliquiæ in Dauentria cum alijs ſanctis venerantur. Poſt hunc glorioſus Imperator ſanctus Carolus Apoſtolus noſter, qui terram hanc plene conuertit ad fidem: eius caput in Oſnaburgis honorabiliter veneratur, cum ſanctis Criſpino & Criſpiniano & alijs reliquijs pluribus. Sequitur deinde ſanctus VVedekinus olim dux vel rex huius populi, quē Carolus de ſacro fonte ſuſcepit, & ſalutaribus monitis inſtruxit. Hic deinceps tanto ſtudio priſtinam correxit vitam, vt poſt vitæ ex-
ceſſum

ceſſum clareret miraculis. Eius oſſa in Engers quieſcunt, id eſt, Angaria prope Heruordiam. Baptizatus etiam tunc fuit Albio vir nobilitate clariſsimus, & virtute famoſiſsimus: Ex hinc ſequitur ſanctus Ludgerus primus epiſcopus Monaſterienſis, vir apoſtolicus, infinitis miraculis tam in vita quam in morte & vſq; hodie clarus. Corpus ipſius in VVerdena quieſcit.

Inſuper cęteri primitiui epiſcopi aliarum ſedium cathedralium, videlicet Hatumarus in Padeborne, & Badueradus qui ei ſucceſsit, & alij in Oſnaburgis & Mynden. In Oldenſel ſanctus Plechelmus. In Monaſterio ſanctus Amulricus, & ſanctus Erpo. In Iburch ſanctus Benno epiſcopus Oſnaburg. In Bremis vvillehadus primus epiſcopus ibidem. Anſgarius & Kymbertus. In vverdena ſanctus Thiadgerinus cognatus ſancti Ludgeri Secundus epiſcopus Haluerſtadenſis.

Et vvilletus presbyter diſcipulus Suuiberti epiſcopi. Omnes hi terram hanc meritis illuſtrāt & patrocinijs de-

ſenſant. Benedictus quoque Badueradus ſecundus epiſcopus Padebornéſis, diuina reuelatione confortatus, ſolemniter trāſtulit corpora ſanctorum Liborij, Panacij. Turribij. Gundaniſoli, epiſcoporū Cenomannicæ ciuitatis, ad ſuam eccleſiam, cum multa gloria miraculorū. Eodem tempore ſanctus Meynulphus diaconus, quem Carolus de fonte ſacro ſuſtulit, monaſterium fœminarū extruxit, Bodeken nomine, vbi ipſe quieſcit. In Heruordia quieſcunt, ſanctus VValtgerus, Corelphus, & Puſinna virgo. In Durrēberch ſanctus Oſuualdus Rex Anglię. In Helmerdeſhuſem Abbatia, ſanctus Modaldus, epiſcopus Treuerenſis, cum multis alijs. In Abbatia Carbeya ſanctus Vitus martyr. In Warburch eſt capſa ſancti Eraſmi cum tribus virginibus ſacris, ſcilicet Alheide Ermgarda, Gertrude. In Flechdorp monaſterio Ciſtercienſis ordinis caput ſancti Lādolini abbatis, cuius corpus eſt in pago Bœck. In Borchgentrick eſt cultellus ſancti Bartholomęi. In Aroldeſhem cœnobio monialium quieſcit beatus Petrus præpoſitus.

tus ibidem. In Sychemenſi cœnobio ſancta Haſeka prope Schermbeke, quæ famulam habuit deuotam nomine Bertham. Beatus etiam Luthardus Cliuenſis comes ſuam terram & ſtirpem nobilitat, Genſelinus quoque vir nobilis licet opilio & exul pro Chriſto, quieſcit in Slebuſrode, in terra Montenſi clarens miraculis. Gericus beatus vir & dux quieſcit in Gerishem cœnobio monialium, quod ipſe conſtrui fecerat. In Syborch prope VVeſthouen ſunt plurimorum ſanctorum reliquiæ; & indulgentiæ Papales, paſſagiumque annale peregrinorũ in Veteri Monte cœnobio Ciſtertienſis ordinis, credũtur mille virginũ corpora eſſe, de ſocietate ſanctę Vrſulę. In Tremonia ſanctus Reinoldus martyr. In Suſato ſanctus Patroclus martyr. In Monaſterio ſancti martyres Victorinus & Florianus. In Oſnaburgis ſanctus Reinerus ſolitarius infinitis miraculis coruſcans. Et ſancta Alleydis extra muros. In Campenberch cœnobio ordinis Præmonſtratenſium, beatus Gotfridus comes. In Lengerke ſancta Margareta ſolennem

habet memoriam cum miraculis pluribus. Et eſt ibi paſſagium grande frequens & copioſum per ſingulos annos. In Ströberge eſt gratioſa crux, ſimiliter & in Cœſueldia, vbi multa præſtantur beneficia digne petentibus, & propter frequentiam miraculorum eſt peregrinatio continua. In Laer eſt deuota inuocatio ſancti Georgij martyris, cuius imago ſæpe baiulatur cum campanarum pulſu. In Horſtmaria & in Heruordia, & etiam in Eyckrode, in capella quadam in Monaſterio prope ſummum, eſt quædam ſingularis veneratio beatæ virginis Mariæ, & viſitantes iſta loca, crebro ſentiunt ſe à languoribus releuatos. In Stéfordia eſt memoria ſancti vvillibrordi, qui vnus de primoribus prædicatoribus fidei in illis partibus, & propter maximas indulgentias quæ ibi pronunciantur à dominis ordinis ſancti Ioannis, eſt annualis peregrinatio tempore autumnali. Audiui quoque in Horſtmaria eſſe imaginem beatæ virginis à Roma illuc tranſlatam mirabiliter, ſed quia certus non ſum de relatione iſta, alijs verita-

tem

tem inquirendam relinquo. Hoc tamen ſcio, quod eſt quædam fama de nobili quodam viro, dicto vulgariter, de gude van horſtmar / cuius epitaphium in choro ibidem depictum legitur. Dat wylt heyden ind kerſten ſagen/dat dyt weer eyn die beſte by ſynen dagen/ hoc eſt, quod tam pagani quàm chriſtiani ſupremæ bonitatis illi teſtimonium præſtabant. Non omnia potui perquirere de cæteris Sanctis illic quieſcentibus, præcipue in diœceſi Myndenſi & locis vicinis. Cui placet, ea quæ repererit hic annotare dignetur. Intellexi ante paucos annos nouam quandam peregrinationē inchoatam in oppido Blomenberch, vbi continue populus confluit cum multa deuotione.

Sunt nonnulli quibus iſta peregrinatio diſplicet, propter certas cauſas: ſed alij contrarium ſentiunt, videlicet quod Dominus ſimplici populo quinq; miracula oſtendit ad corroborandam fidem. Nec obſtat ſi aliquando error contingat in talibus, quæ non ſunt de ſubſtātia cre-

dendorum, ſecundũ illud Hieronymi ſuper Matthæum. Non condemno errorem qui ex odio Iudæorũ & pietate fidei procedit, quia etiam maximi doctores in huiuſmodi falluntur. quãdiu ergo plebs recta intentione procedit, honorandi videlicet principalem vnum verum deum, & filium eius dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ac ſanctos eius, fidenſque pie ſe exaudiri in inuocatione ſua, dimittenda eſt potius in huiuſmodi (vt ſic dicam) quàm impedienda. Gaudebat olim Apoſtolus, ſi omni modo glorificaretur nomen Domini Ieſu, ſiue per occaſionem, ſiue per contentionem, ſiue quæſtum, aut cætera huiuſmodi. Et Dominus in Euãgelio dicit, diſcipulis volentibus tales prohibere, Ne prohibueritis eos. Qui cumque enim nõ eſt contra vos pro vobis eſt.

Cæterum redeundo ad materiam noſtram, fiducialiter loquor, quod populus VVeſtphalicus pro maiori parte deuotiſsimus eſt, in ieiunijs præcipuè, in audiendo verbũ Dei, in viſitandis eccleſijs, in ſuſcipiendis ſtationarijs, in frequen-

tādis peregrinationibus, in dandis eleemoſynis, in ſuſcipiendis peregrinis, & in alijs operibus pietatis. Simplicitati & probitati maxima pars plebis intēta eſt, neminem fallere edocta, & ad multas violentias ſuſtinendas aſſueta.

Quòd ſi quis obijciat de quibuſdam dyſcolis nolentibus guſtare ſextis ferijs de lacticinijs, tam ā diebus dominicis inſumentibus portionem de rapta vacca. Reſpondeo quod pauci ſunt tales reſpectiuè, vt infra declarabitur, & nihilominis tamen in ieiunijs ſtrenui. Si enim ita deum extimeſcunt raptores noſtri, quid de alijs ſentiendum ſit, ſyncerus facile animus ſyllogizabit. Nulla prouincia vnquam ſic dotata legitur, quin ollæ cōtritæ illic aliquando reperiantur. Sed à potiori res denomināda eſt, ſicut de Hieruſalem & Roma patet, in quibus grauiſſima piacula facta ſunt, tamen dicuntur ciuitates ſanctæ, propter myſteria redemptionis noſtræ & orthodoxæ fidei promulgationem.

CAPVT IX.

De ſpectabili inſtitutione huius prouinciæ, & maximè de diœceſi Monaſterienſi laudatiſsima.

GLoria orbis terrarum eſt congregatio iuſtorum, eſtque antiqua prudentum ſententia. Qualis rector ciuitatis, tales ſunt habitantes in ea. Quia igitur Carolus diuus princeps, erat vir potẽs, prudens, & clemens, ideo miniſtros huiuſmodi ſuo lateri ſociauit, quorũ auxilio & conſilio fretus, cuncta quę geſsit ad laudabilem finem perduxit. Obtenta igitur VVeſtphalia viros nobiles & chriſtianiſsimos introduxit ſapientia inſignes, armis ſtrenuos, ac pietate decoros, qui tam verbo quam exemplo populum nouiter conuerſum, ita ſpectabiliter inſtituerunt, vt proprio nomine quaſi abolito, viri boni appellarentur. Habet enim hoc præclara virtus, vt generalẽ titulum honoris ſuis facile imponat cultoribus. Vidi plures de hac proſapia ramuſculos quibus parentum probitas tanta inerat, vt boni ſaporis & odoris vi-

num

num, id eſt, fama laudabilis longius diffunderetur, & cunctos (vt ſic dicam) inebriaret. Hercule, iurarem ſi fas eſſet, me toties ex animo delectationem nouam concipere, quoties illorum inclytorum domicellorum memor ſiam, quantam ſcilicet humilitatem, fidelitatem, modeſtiam, affabilitatem, gratiamque proximis impendant, & præſertim ſubiectis ſibi.

Noui quendam in ſtatu illo, quod difficile eſt, pene perfectorum monachorū deuotionem obtinuiſſe. Quocunque enim ſe vertebat, iugiter ſubmurmurauit velut timore Dei ebrius dicens: Decem præcepta Dei, decem præcepta dei.

Alter quidam cū crebro in obſequio ciuitatis cuiuſdam equitaret ad dietas (vt vulgo dicitur) tenendas, & rogaretur vt ſtipendia ex more ſuſciperet, ait: Abſit hoc à me dilecti filij, Ego abundo, & libenter vobis gratis ſeruio, ne paupercula communitas grauetur. Scio vnumquemque difficulter ſatis ſuum panem, & quę ad victum pertinent, promereri.

Comitē etiam (quem noſtri altum vocant) quendēm noui, virum vtique ſupremæ probitatis, cui hoc pro inſperata gloria imputabatur; quod cum in odibilibus officijs crebro fuiſſet, ſemper gloria inuidiam vinceret. Neſcio an erat Samueli par, aut maior in hoc genere gubernandi plebem, an non. Deficiet me tempus, ſi cũcta retexere voluero, quæ ad hanc rem pertinebunt. Sed vtinā quidam non aberrarent à veſtigijs patrum ſuorum.

Et nunc quidem ad Monaſterienſem diœceſim, in qua natus ſum, ſtylum verto; cui vt arbitror nulla altera in tota VVeſtphalia ſecunda eſt. Omnibus populoſior, latior, ditior, potentior, glorioſior narratur; nec aliquam eccleſiam in omnibus prouincijs, vbi fui, reperi tam ordinatē inſtitutam, ſiue in ædificijs, ſiue in redditibus; ſiue in eccleſiaſticis ornamentis; ac modo regiminis. Prima eius fundatio eſt, vt de genere domicellorum illic canonici habeantur; quibus eligendi epiſcopum ac principem auctoritas donata eſt. Ex his

vidi

vidi deuotos & humiles viros, atque adhuc vnum ſuperſtitem noſco tantæ religioſitatis, vt veraciter credam multis monachis de regulari obſeruantia eũ non inferiorem, ſed forte ſanctiorẽ.

Princeps autem ille, ſiue præſul per nobiles illos viros canonicos ſcilicet electus, ſub ſe habet comites, barones, nobiles, domicellos, ac ſeruos ſine numero, curialeſque plurimos pro defenſione patriæ ac cauſis tractandis atque decidendis. In ſpiritualibus prælatos ſolito more iuxta eccleſiaſticum ritum, ad omnem copiam. In ſubſtantia temporalium deputatos habet à prima fundatione duodecim maiores officiarios cum curijs ſuis diſtinctos in eccleſiæ & ciuitatis Monaſterienſis, adiunctis etiam ſibi (vt vulgo loquar) Sculteris numero XLVIII. qui ſimul faciunt cum eis ſexaginta præfectos ſubſtantiæ pontificis, iuxta exemplar Salomonis regis Iſrael, præbentes alimoniam principi per ſingulos dies, vnuſquiſque in menſe ſuo. Hæc dum ita ſeruarentur, omnes diuites & felices fuere.

nullus

nulluſq; locus querelæ aut iurgiorũ patuit. Sicque famoſa hæc obſeruatio ſancta fuit ac celebris, vt diuæ memoriæ ſanctus Engelbertus, archiepiſcopus Colonienſis, martyr hanc obſeruantiam in ſua metropolitana diœceſi, introducere moliretur, licet ſancta morte præuentus ac martyrio coronatus, id exequi nequiuerat. In eius namque legenda ſic habetur, quod XII. Scultetos per diœceſim conſtituere voluit, quibus reditus ſuos commendaret, vt ipſe ſpiritualibus vacaret, ac cauſis magnis neceſſarijs liberius intenderet. Quam pulcher ordo bone Deus! vbi ſingula membra agunt quæ ſui ſunt officij, & à diuino regimine diſcrepant in nullo! quàm ſit autem irrationabile & Deo ingratum transferre terminos quos ſtatuerunt patres noſtri, ſacra ſcriptura teſtis eſt, ac aliæ hiſtoriæ ſanctę, præſertim vbi aliquid committitur in præiudicium ſiue damnum proximi. Dauid enim cum iniuſte priuaſſet Myfiboſeth paterna hæreditate, grauiter punitus legitur, quia teſte Lyra ob hoc nepos ipſius Roboã. XI. tribus ſiue ducatus

tus amiſit Et ita de multis legitur.

His exemplum recens ſuperaddo, quod oculis vidi, auribus audiui. In præfata diœceſi Monaſterienſi, cum quidam in epiſcopum ex more electus fuiſſet de genere comitum, & omnia caſtra plena reperiſſet, neſcio quo ſpiritu tactus, duas curias officiarias hæredibus abſtulit contra voluntatem ipſorum, redditis tamen quibuſdam alijs licet non æqualiter. Putabat enim ſe iuſte hæc facere potuiſſe. An autem peccauerit, an non, Domino deo committo. Hoc vnum ſcio, multis ſcilicet illum conuicijs ob idipſum laceratum fuiſſe. Sciui eundem crebro infirmum, & in florida ætate vita functum. Fuit tamē princeps prouidus, pacificus, & in pluribus commendabilis. Poſt eum Germanus eius electus erat, qui nullo pacto poſſeſsionem obtinere potuit, licet maxima pars domicellorum cum multis principibus in circuitu, partes eius adiuuaret. Verum quo iudicio hæc facta ſint, diſcutere non valēs, ad priſtinam ſententiam ſocurus re-

cur-

curro, ſciens quod eadem menſura remetietur vnicuique, qua ipſe alijs menſus fuerit. Ait enim ſanctus Gregorius ſuper Ezechielem homilia, 6. Hoc nos debemus exhibere proximis, quod indignis nobis à creatore noſtro conſpicimus exhiberi. Oportet ſic fieri nobis, ſicut alijs facimus. Hanc autem conſimilem ſacræ ſcripturæ admonitionem ad multa ſimilia poſſe referri arbitror, felicemque animum fore quem aliena pericula cautum faciant. Sententiam notatu dignam olim memorabilis Solinus protulit, qualiter videlicet Roma à conditionis ſuæ anno CCCCCCLX. turpi inopia præcipuas ſuas partes auctionabatur, ita etiam vt quo plura raperet, eo infelicior redderetur. Ait enim, Conſideret vrbs Roma tempora ſua, cum quaſi inexplebilis venter cuncta conſumens & ſemper eſuriens, cunctiſque vrbibus (quas miſeras faciebat ipſa miſerior) nihil relinquens, nihil habebat; & ſtimulo domeſticæ famis ad continuationem bellicæ inquietudinis aut ciuilis exactionis trudebatur. Qui habet intelle-

ctum

ctum calculet numerum dioeceſis noſtræ,& ſi à gloria primæuæ inſtitutionis vſque ad hunc numerum aliquid ſimile repererit, vigilãtius penſet, ac ne priora ſuccreſcant, diligentius inuigilet, obicemque perculis opponat.

CAPVT X.

De excuſanda patria noſtra in quibuſdam.

OPortet hic apologeticum texere, de noſtra hac prouincia excusãda, quoad aliqua, & præſertim quoad duo, videlicet rapinam & doloſitatẽ. Crebro hæc audiui, & iam verſiculi in orbem tranſierunt, VVeſtphalus eſt raptor, &c. VVeſtphalus à fallo, &c. Dico quod ſentio. Quoad primum, Pauci ſunt reſpectiue ad bonos, qui nobis hanc infamiam fecerunt & communiter de generatione domicellorum. Quo ad ſecundum riſu moueor, mendacium reijciens, quamuis apertum (vt dicitur) mendacium reſpõſione dignum non ſit. Cunctis ergo prouincijs ſic loquor, adeo ſcilicet groſſas eſſe fraudes VVeſtphalorum & apertas, vt fa-

vt facillime poſsint deprehendi, & ſtatim dum aliquid licet rude protulerint, ad proximum ſe conuertunt dicentes: Ego etiam aliquid ſcio, &c. Communiter ergo tales loqui neſciunt, & tacere nequeunt & per conſequens citius ſe fatuos quàm eruditos oſtendunt, ſuntque communiter de genere plebeiorum. Quod ſi quidam verſipelles ſint & anguilla lubriciores, pauci quoque reſpectiue & vt primi degeneres maculā dant in gloriā patriæ ſuæ. Sed nunc de raptoribus parū annecto. Vitam ipſorum quaſi quiddam de mirabilibus mundi aſpicio. Sunt nāque de generoſa, proſapia, proceri ſtatura, viribus fortes, animo induſtrij, beneuoli ex natura, cupidi honoris apud ſuos fideliſsimi, ſolo neceſsitatis articulo violenti. Si ad ſolueudum ſymbolum redditus haberent, nunquam de taberna ob rapinas exirent, Multa docet eos mala, & impellit infauſta paupertas Hæc verba præferunt ſuper. Illic facile inueniens qua alibi perduntur. Ibi deus dominum non habet. Ibi vertitur credo, & finitur pater noſter &c. Videres in eis

non

non ſine lachrymis (vt puto) formoſos domicellos,pro vili victu & veſtitu quotidie agonizantes, patibulo & rotis ſe offerentes,vt inediam famemque repellant. Ipſis pro ſumma iuſticia eſt, litteras diffidatorias vicinis quandoq; mittere, & deinceps rata eſſe omnia ac honore digna quæ patrent. Sanguinem non ſitiũt,dominia, vſuras, tornamẽta,pompas ſumptuoſas, neque faciunt, neque ſuper cor aſcendunt. Tantummodo victũ obtinere ſuprema illis eſt ſalus.Hercule, iuros ſi fas eſt, quod tales ipſorum deliciæ magna mihi pœnittia eſſet. Nouiciatus hoc eſt tyrociniũ martyrio cõparatur. Rapti enim de cunabulis quinquennes ſuper ſellam ligati,altis caballis imponuntur. Robuſti deinde equites dietas quandoq; plures faciunt,aliquando poſt cœnam in lectis quieturi. Infantes vero abſque omni diſpenſatione ſepeliuntur fimo ſtercoreo, inde non ſurrecturi vſquequo veniat magiſter ſtabuli. Poſt ea equorum vrina madefacti, egeſtis cooperti, morſibus exanimati, ictibus læſi. Iam domicellus adueniens præci-

præcipit vt exerceantur tyrunculi,ſi forte alicuius profecti bellici in eis ſit ſpes.Verberantur,obiurgantur,lacerantur, & vltra quam dici poſsit, infantilis ætas laborare iubetur.Eadem fere diſciplina eſt in curijs principum, qui ex æquo vrgentur ad bellũ.Deinde cum validior facultas accreuerit,ad clypeũ vocãtur,baltheo arcuali cinguntur,haſta,cuſpide, gladio,& ſagittis ornantur,& mox velut patibulo conſecrati, ad campum animoſè procedunt. Si præualuerint bene eſt,ſi vero ſuſpẽdio interire cogãtur, non magna cura. Principales autem domini, velut ex honeſtate gladio reſeruãtur,aut ſi tanta impietas eſt,rotis imponuntur.Hæc eſt hæreditas ſeruorum huius ſeculi, qui patria voce canunt dicentes.Ruten roiſen dat en is gheyn ſchãde/dat doynt die beſten van dem Lande. Latine ſic, Non eſt ſcandalum armis vacare & rapinis vndecunq; ſe & familiam nutrire, rationem ſtulte allegãtes, talia ſcilicet facere meliores de patria. Deus bone, ſi iſti ſunt meliores , quid de peioribus ſentiemus? Denique ruſtici re-

reſpondent. Hangen / raden/ koppen/ ſtekē/ en is gheyn ſunde/ were dat nit/ wy en beheldē nict in dem munde. Hoc eſt: Decollare, rotare, ſuſpendere, transfodere raptores, non eſt delictum, quoniā niſi hoc eſſet, omnis ſtatus mūdi fame periret. Hic pia corda euigilent, & miſericordem dominum ſuppliciter exorent, vt tantis calamitatibus finem imponat, tribuatque ruſticis & mercatoribus gratiam humilitatis, vt proſperis illecti, petulantes non fiant: raptoribuſq; paracletum tribuat, quo huius mundi non dico proſpera, ſed extrema aduerſa contemnant, & ad conflictum contra Sarracenos procedant.

Proh Superi, maneo mihimetipſi in hac parte ignotus. Non poteſt animus ab his martyribus auelli. Martyres ſunt, ſi non Dei, tamē diaboli. Aliquando in cōtubernio ipſorum fui, non rapiendo, ſed conuiuando ſæpius. Hoc paucis dicam. Neptem noſtram aliquando cum apparatu armorum propter hanc deprædationum neceſsitatem aliò duximus deſponſandam. Erat ſponſus eius mixtim

de genere domicellorum atque maiorum. Nuptias grandes fecimus, militarium, maiorum, ruſticorum non minima copia aduocatur. Aliquanti etiam ciues cum prędictis domicellis intererant. Verum enimuero quod æquiſsimum eſt infero, ſponſę huius genitor auúculus meus longe maiores nuptias in loco natali ſuo fecit, vbi ſumma pax colebatur, & multa (vt ſic dicam) clenodia à circumcurſantibus quemadmodum putabatur ablata perdidit, tanta tamē fidelitas ſeruabatur, vt etiā fortuitò amiſſa reſtituerentur. Soror item mea ex incuria togam ſuam poſt ciſtā cadere permiſit, diu quærendo velut furto ablatam de ea rehabēda deſperauit. Iurantibus autē ciuibus, quòd nequaquam ita credere deberent, ſed ſerui iſti nobilium fideliſsimi in hac parte eſſent, aſſenſum multi propter cultellos barbaricos & habitum quem geſtabant, adhibere noluerunt. Sed recedentibus nobis, eadem toga tamquam ſi apud legales & amicos hoſpitata fuiſſet ad dominam ſuam relata eſt.

Hæc breuiter dixi, vt è vicino oſtendam

dam hos pauperes raptores, non ita peruerſos eſſe ſicut à quibuſdam iudicatur. Sciunt enim quo in loco & contra quos, & quando, & quomodo res talis peragẽda ſit. Vnde non ſunt omnia ſemper in malam partem accipienda. Spero etiam quod pluribus eorum dominus ſpiritum conpunctionis & gratiæ dederit, vt errata in melius commutarent, aut religionem intrando, aut nudis per orbem pedibus peregrinando, aut contra infideles pugnando, aut alijs operibus bonis inſiſtendo, celebre exemplum ad poſteros tranſmitterent.

Verum enimuero vt ad rem veniam, puto ipſe, quod ſicut teſte Liuio & Floro ciues Romani olim poſtquam orbem domuerant, & in vrbem redierant, pauperesque facti agros diuidendo, ciuilia bella ſuſcitabãt, ita Frãci diuiſam inter ſe VVeſtphaliã, cum ſingulis ſua portio diminuta videretur, eadẽ diſcerpſerũt, & vicinus cum vicino comedere tentabat. Sed potentioribus forti præſidio ſe munientibus, violentoſq; à ſe expellẽtibus ad loca prædicta tranſmigrarũt,

è quibus vſque in præſens eruptiones multas fecerunt, veluti antiquam iniuriã vindicantes. Terra enim VVeſtphaliꝗ tota ad agrarios reſpicit, neque ponderoſa telonia, neque flumina naualia, neque nundinas prouinciales habet, aut ſimilia accidentalia, vnde quęſtus varios conquirat, ergo deficiente ruſtico ſimiliter tota concidit. Maioribus itaq; ſuas curias ex pacto retinentibus, cætera plebecula tantum numerum domicellorũ nutrire nequiuit: quare non mirum ſi hęreditaria paupertas apud quoſdam inoleuerit, præſertim apud illos qui precioſè viuentes, cuncta quæ ad manum ſunt, abſque ſolicitudine conſumpſerunt.

De mechanicis etiam nihil regulariter loquendum eſt, qui pro magna parte ſub fortuna viuunt, quaſi de manu in dẽtem, neque his rebus alios nutrire præualent, qui vix ſibi ſufficiunt. Etenim ſi quæſtus pinguis eſt, facile in ſublime tendunt, donec rurſum marceſcant. Si autem tenues etiam coquunt tenues pultes: poſſunt tamen pleriq; eorum ex euentu fortuito plurima lucrari atque largiri.

Eſt ergo prædicta infamia rapinarum magis ex neceſsitate, quàm voluntate, magis ex palliata iuſtitia; quàm debacchante ſæuitia. Vnde ei aliqualis venia debetur. Et ſi non poteſt excuſari ex toto, poteſt tamen ex tanto. Si autem patres illi cum ſancto Carolo huc non veniſſent, & animam ſuam in manibus ſuis non poſuiſſent, terra vtique VVeſtphaliæ in fidelitate permanſiſſet. Grates igitur reddamus ſanctis patronis noſtris, & proles ipſorum cum pia ſupportatione tractemus, ipſoſque humiliter moneamus, quatenus ab vitiorum anfractibus ſe abſtrahant, & paternarum probitatum exempla (quæ plurima audiuimus & aliqua vidimus) etiam, in ſe Chriſtiano more nobis animosè oſtédát.

Exemplum autem breue illis raptoribus, hic offerendum cenſui, ne deſperent de venia. Sancta quædam perſona in cœlum rapta, vidit animam quandam multis gaudijs perfuſam; de qua intellexerat, quòd eſſet minima inter omnes cælicolas. Quæſiuit igitur cuius côditionis fuiſſet. Reſpódit illa, ego fui anima

cuiuſdã raptoris domicelli, & nunquã aliquid boni feci in tota vita mea præter in vltimo exitu à corpore. tunc enim cępi gemere cũ propoſito emẽdãdi, ſi viuere licuiſſet. Ob hęc gratiam conſequutus fui, recluſus tamen in purgatorio acerbiſsimo per centum annos. Peccaui autẽ magis ex conſuetudine, ſicut ab infantia edoctus fui, quàm ex malitia.

CAPVT IX.

Exhortatio ad domicellos pro antiquis iuribus conſeruandis.

DIuina ſapientia de ſe loquitur, dicens: Per me reges regnant, & legũ conditores iuſta decernunt. Hãc præclaram ſententiam inclyti domicelli & militares auſcultate, & eius iugo colla veſtra ſubijcite. Teſtamentũ ſanctorum patrũ veſtrorum ſeruate, & neq; ad ſiniſtrã neq; ad dextram declinate. Non vos grãdia ſuper humanam rationẽ diuina auctoritas ſequi iubet, ſed quæ in proſpectu ſunt, plebiſcita ſancta zelare. Et quid vobis ſalubrius audiendum eſt, quàm illud ſapientis eulogium: Ne trãsferas terminos, quos ſtatuerunt patres tui. Deniq;

niq; ars & prouidētia regendi potiſsimū ſumēda eſt ex regula, quā habet cōmunis vſus prouinciæ, veſtræ, à ſancto Carolo & alijs venerabilibus dominis inſtitutā. hæc ſi cuſtodiatur, proſpera & reforma-ta erūt omnia: ſi verò negligatur aut cōtē-natur, ilico vobis eueniet quod per quē-dā prudentē dicitur: Quia non habuerūt ſapientiā, perierunt propter ſuā inſipiē-tiā. Aduertite, ſi placet, quibus his canon ita ſubſeruit, vt gloriæ veſtræ iā maiores pro maxima parte vobis obtēperant, iā ſpiritualia, iam tēporalia in manibus ve-ſtris ſunt. Si cœperitis hoc teſtamētū im-mutare, nulli amplius quā vobiſipſis no-cebitis. Soli vos eſtis quos obſeruantia antiquā famoſos ſeu famatos ſplēdidoſ-que cōſtituit. Cauete cū prouidentia vo-bis: hoc enim quod habetis à alij ardēter cōcupiſcūt. Securi eritis, ſi cōſueto more cū veſtris ſubiectis vixeritis. Omne inſo-litum habetote ſuſpectū. O quanta mala nouorū introductio crebrò peperit! Fa-cilius in ſolitis perſeueramus, & incertū eſt de futuris, an vnquam tale robur ha-bebunt. Hoc eſt quod olim Moiſes filijs

Iſrael dixit, quòd nihil ita vt patrias leges obſeruarent. In hoc enim eritis (ait) glorioſi, & coram cunctis gentibus ſpectabiles, ſi ſeruaueritis quæ ego pręcipio vobis. Et vtique ita factum eſt, quia nullus contra eos antè præualuit, quàm legem Domini penitus negligerent. Tunc enim in direptionem venerunt, & hoſtibus ſuis ſubſtrati leguntur. Simili modo de vobis cogitate, & ſi aliqua exempla habetis, cum iſtis cōferte, videbitiſque an vnquam proſperati ſint, qui à teſtamento ſancto receſſerunt.

Penſate an iccirco à ſancto principe illic conſtituti ſunt parentes veſtri, vt rapinas exercerēt, aut raptoribus conſentirent, vel fauorabiliter diſsimularent, ſubiectos etiā vltra conſtitutum grauarent, redditus principum fraudulenter vſurparent, aut pignorum colore detinerent, ſuos, inquam, æquales iam attenuatos totaliter, velut buccellam panis deglutirent, miſerabilium perſonarum cauſas ſuſpenderent, occaſiones quærerent, vt ſimplices ſub colore iuſtitię conuiuium ſoluere cogant. Potationes, iuratio-

tiones, conſpirationes, occiſiones, vſuras; elationes, fraudes, promiſsiones ſubdolas, irriſiones, obloquutiones, luxurias, inceſtus, minas proteruas, cæteraque his ſimilia facerent: & demum exhortationes ſacræ ſcripturæ contemnerent, primas leges deſpicerent, ſacros canones abijcerent, & de ſententijs excõmunicationum nihil curarent, immo ex hoc magis infeliciter, diabolo traditi gloriarentur. Summe iurarem ſi opus eſſet, quòd ſi ſanctus rex Carolus taliquẽ in ſuo comitatu repperiſſet, aut proprio gladio trucidaſſet, aut non minus quàm nequiſsimum maleficum quatuor equis extentum, cunctiſque artibus diruptum, horribili neci tradidiſſet.

Sed & hæc ſcitote, quia non minus impotens nunc eſt, quam tunc fuit, immo longe potẽtior, & ad faciendã iuſtitiã zeloſior. Ita de omnibus venerabilibus viris & progenitoribus veſtris ſentite: nec quiſquam filium aut filiam liberabit, niſi fuerint imitatores operum bonorum.

Si forte dicat aliquis ex vobis, iam tẽpus peſsimum eſſe, & cuncta per abrup-

tum agitari, & iccirco ſpem nullam remanſiſſe correptionis militarium, dico quod eo amplius inſudare tenemini, & fiducialiter ſperare in adiutorio altiſsimi, dicendo: Tempus faciendi domine: diſsipauerunt legem tuam. Nec vos terreat magnitudo operis, quia paulatim lógius itur, & qui in Domino ſperat, cófirmabitur. Quomodo autem incipiatis, optime vos ſcire arbitror, & quod à quodam nobili domino didici hic annecto. Conuenientibus vobis in vnum qui diuites & inclyti eſtis, fide præclari, & famoſi in populis, ſic ſimul commentemini. Ecce chariſsimi, vt cernitis, ſtirps noſtra ab olim ſpectabiliter quotidie imminuitur, hæreditates noſtras alieni poſsident, ſerui ſuccreſcunt, & nos cum armis noſtris ad ima declinamus. Iam facilius agricola vnus, quàm decem ex nobis mutuo accipit, & locat quæ vult, & noſtra legalitas pergit in deriſum & opprobriũ. Omnium iſtorũ cauſa eſt negligentia noſtra, quia nos mutuo nõ diligimus: nec vti patres noſtri ſolebãt, exceſſus corrigimus, aut nobis ipſis dũ opus

eſt ſuccurrimus. Timendũ valde eſt, niſi remediũ apponamus, hæc de quibus querimur in ſtatum longe laxiorẽ caſura, & vt in vicinis prouincijs cernimus, tãdem omnino defectura. Percutiamus igitur fœdus inter nos, & pauperes amicos noſtros iuuemus intuitu Dei, ne paſsim poſſeſsiunculas ſuas vendere cogantur. Hæc ſit prima ſolicitudo noſtra, & videbimus auxiliũ Domini ſuper nos. Deinde paulatim trahamus ad noſtrũ propoſitum cæteros, qnibus nobilior ineſt ſanguis, vt auxilium ferant, & ad reparandã militarem diſciplinã porrigant manus.

Non dubium eſt quin ſi decẽ aut viginti, vel plures ſic cõcordauerint, & ſecundum eccleſiaſticam cautelã ſe mutuo intellexerint, & iuſte per viã regiã inceſſerint, nullũ opprimentes, nullũ etiã quantũ poſſunt in iure ſuo neglexerint, ſtatim apud Deum & homines gratiam inuenient, & proſperabuntur in ſingulis, quæ ad ſui ſtatus gloriã ſpectant. Expedit etiã aliquẽ locũ ãpliſsimũ & maxime cũctis idoneũ eligere, ſicut in diœceſi Monaſterienſi habent, & vulgo dicitur Dat lårer

broeck, vbi annuatim ad minus ſemel conueniant, & de his quæ ad rempublicam pertinent, diligentius tractent, & omnis pompa, petulantia, ſpectacula, ludi, mulierum item frequentia, cæteraque leuitatum ridicula vitentur, ne myſterium prudentiæ in laſciuiam corruat, ſiue ſtultitiam.

Talis autem locus, forum Caroli ſolemniter nuncupari poteſt, ſicut olim apud Romanos forum Sẽpronij, vel Appij, aut Iulij. Noſco vos ô inclyti domicelli, & vere noſco vrbanam verecundiam veſtram, & quòd de nouitate tituli formidatis, quam (vt vero veriùs vobiſcum loquar) ſi clerici & religioſi proximi non haberent, non tot hodie prædia poſsiderent; aut retinere valerent. Negligentia diſciplinæ veſtræ ipſos cautos effecit. Contendite ergo pro viribus: Contendite, inquam, certatim omnes & aliquando incipite. Nam medium facti (vt dicitur) qui cœpit habet. In ancipiti profecto erit tota gloria & ſubſtãtia veſtra, niſi omnia in melius, & in bonum publicum commutaueritis.

Poſt

Poſtremo autē ſi ſpecimen hoc antiquę veſtræ nobilitatis animosè reſumpſeritis,& nullum in conſortium veſtrum admiſeritis, abſq; teſtimonio bonæ famæ, nullumq́; excluſeritis eiuſdem propoſiti virum,ſalua proportione ſtatus ſui, & principes & tota patria vos ante oculos habebunt; & nihil abſque veſtro cōſilio concludere audebunt. Habet enim hoc diuina ſapientia, vt ſuos cultores glorificet,& qui ſe ſecundum ipſius monita regulant,etiam ſi plebeij ſint,ſpectabiles in orbe toto cōſtituat. Quanto magis & vos ſublimabit,qui à progenitoribus veſtris & famam legalem & inclytū ſanguinem trahitis, ac præclara quidem eiuſdem ſapientiæ iudicia ſeruare contenditis?

CAPVT XII.

Exhortatio ad maiores pro gratitudine & concordia ſeruanda.

COncordię bonum diligit auctor pacis Dominus Deus,& grates referētibus dona multiplicat. Sicut ex ſuperi-

us dictis patet. Antiquit⁹ enim VVeſtpha lia per ſatrapas plurimos regebatur, qui ſingulis pagis præſidebãt, ſed propter infi delitatẽ & duritiã cordis ſubacti fuerũt, & venit eis prophetia ſanctiLebuini quę ſuprà poſita eſt. Verũ peruerſiſsimis quibuſq; exterminatis ſiue fugatis, reliqui cũ multa gratia fidẽ receperũt, & in curijs ſuis permanſerũt, & poſteri dehinc eorũ vſq; in præſẽs, ad quos nũc ſermonẽ dirigo. Hortor vos ego caro veſtra & ſãguis, vt gratitudinẽ & concordiã ſeruetis cũ domicellis & principib⁹ veſtris. Scio quibus loquor, quoniã nihil cõqueri poteri tis iuſte de immutatione ſtatus veſtri. Nã per cõuerſionẽ ad chriſtianã fidẽ facti eſtis multo nobiliores patribus veſtris, olim idololatrię vitio, deditis dicẽte ſancto Petro: Vos genus electũ, gens ſancta, popul⁹ acquiſitionis, regale ſacerdotiũ. Similiter quo ad ſtatus ſecularis cõditionẽ, licet obumbrata ſit ingenuitas quorundã veſtra, propter cauſam ſuperius expreſſam, tamen in veritate eſt longe facilior, quippe quæ à maximis periculis eruta, grandi ſecuritate tripudiat.

Hoc

Hoc autē triplici teſtimonio breuiter ꝑſuaderi ſolet. Primo ratione, &2. auctoritate, 3. exēplo. Ratione ſic, Cū enim natura humana ſit valde paſsibilis, & ad opera grauia ex ſe inſufficiēs, & facillime periclitetur, ideo quicūq; ad officia regitiua & bellica aſſumitur ſiue iuſte ſiue iniuſte, pondus oneroſū potius quā delitioſū experietur. Pōdus autē premit, & gloria (quia fallax) decipit. Dulcedo. n. gloriæ etiā humillimas mētes afficit. Ideo quicūque ad huiuſmodi anhelat, ſeipſū ignauū oſtētat, qa cōtra ſuā propriā ſalutē laborat, & qcūq; ab his abſoluitur, merito gratus eſſe debet, veluti graui faſce liberat⁹.

Auctoritate ſic: Saluator noſtre vt euāgeliſta teſtatur, cū ſciret quòd popul⁹ eū vellet regē facere, fugit, & diſcipulos à faſtu glorię cōpeſcuit, dicēs: Qui voluerit inter vos maior fieri, erit omniū ſeru⁹. Beat⁹ quoq; Augu. quarto de ciui. Dei hoc pulchre dilucidat, dicēs: Nō vaneſcamus inani ventoſitate lactati; neq; altiſonis vocabulis obtūdamus aciem mentis, ſed duos cōſtituamus ante oculos homines. Vnum mediocrem, alium prædiuitem.

Cogi-

Cogitemus diuitem hunc timoribus anxium, mœroribus tabeſcentē, cupiditate flagrantem, nūquam ſecurum, ſemper inquietum, perpetuis inimicitiarum cōtentionibus anhelantem, augentem ſane his miſerijs patrimonium ſuum in immenſum modum, atque illis augmentis curas quoque amariſsimas aggerentem. Mediocrem vero illum re familiari, parua atque ſuccincta, ſibi ſufficientem, chariſsimum ſuis cognatis, vicinis & amicis, dulciſsima pace gaudentem, pietate religioſum, benignum mēte, ſanum corpore, vita parcum, moribus caſtum, conſcientia ſecurum; neſcio an quiſquam ita deſipiat, vt audeat dubitare, vter eorum præferendus ſit. Vt ergo in his duobus hominibus, ita in duabus familijs, ita in duobus populis, ita in duobus regnis regula ſequitur æquitatis, qua vigilanter adhibita, ſi noſtra intentio corrigatur, facillime videbimus, vbi habitet vanitas, & vbi felicitas. Hæc Augus.

Exemplo ſic. Præſuppoſitis his quæ in ſacra ſcriptura legimus, & alijs libris authenticis, vbi omnes ſtirpes nobilium cū

maxi-

maximis periculis collapſas cernimus. Etiam nūc ſuperaddo vnum exemplum, quod vos meritò conſolari debet & informare. Noui quendam optimatem ante annos, XL. de ſorte veſtra ſupra modū animoſum, ita litigijs aſſuetum, vt cura ipſi præcipua eſſet in iuuentute, ne rubigo arma obtegeret. An libentius ad conflictum contra ęmulos, an ad conuiuium propter amicos accederet, non facile dixerim. Erat ei ſtudium venationi inſiſtere, alea ludere, inebriari, nulli cedere, cunctos ad certamen prouocare, &c. His & ſimilibus factionibus potēter tumēs, omnibus timori fuit, ita vt proprio nomine obliterato, diceretur auis rapax, vir belial, archinequam &c. Dixi ſæpius in corde meo: Iſte eſt de genere maiorum ſiue Satraparum illorum, qui olim ſancto Carolo, per XXXIII. annos tot bella ſuſcitarunt, qualia nunquam in orbe habuit. Verum illi qui eum diligebant, dixerunt ipſum eſſe virum bonū cuilibet domicello præferendum, ſtrenuum defenſorem pauperum, legalem, prudentē, inclytum, conſolatorem & ſubleuatorem

rem

rem oppreſſorum. Hoc enim habuit excellenter à Deo ſibi datum, vt miſerabilium perſonarum cauſas egregie expediret, nec diligere poterat oppreſſores iuſticię. Puto quòd propter hoc crebro ab inſidijs hoſtiũ liberatus fuerit,& ipſe quoq; hoſtes quos ad interficiendũ quæſiuit vel forte expectauit, non inuenit. Vndique igitur triumphauit,& exigente vicinorum probitate (quod dictu mirũ eſt) nunquam captus, nunquã lethaliter vulneratus, pene vſque ad centeſimũ annũ peruenit. Verum quod dicere cœpi, iſte vir poſtquam ad cor redijſſet,& vxore ducta, delicijs inſolitis & diuitijs affluere cœpiſſet, & tũc primũ intellexiſſet quam miſere & periculoſe, tam quo ad corpus quàm quo ad animam, vixiſſet, cũctis perſuaſit,& præſertim filijs, ne quis, eum in hac furiali conuerſatione imitaretur. Dicebat enim, Si aliquis filiorum meorum talia facere attẽtaret, qualia ego, vellem eum eſſe mortuum.

Comparate nũc chariſsimi ſecurũ ſtatũ veſtrũ ad huius ſeculi naufragia, pericvloſaq; negocia domicellorũ & princi-

pum, qui vos ſtudioſe defendũt, & grati eſtote. Reuoluite ſancti Pauli monita, & libenter eis ſolita ſtipendia exoluite, ac honorem impẽdite. Vos ab incunabulis vſque ad ſenilem ætatẽ quieti manetis, parua & delectabili cura familiã regentes, ac deinceps de ſancto ocio ad mortem tenditis. Ipſi verò nũquam vel vno anno liberi à ſummis periculis, ſed continuo, ſi occaſio ſe offert, pro vitro vini & menſura hauenę periculis ſe offerunt. Quanta damna hoſtes vobis inferrent, ſi ipſorũ præſidio non fulciremini? Qualibus autẽ ipſi curis, periculis, ac laborib⁹ fatigentur, neminem ſcire poſſe arbitror, niſi qui periculum fecerit. Sentiebat hoc olim rex ille ſubtilis iudicij, quẽ ferunt ſibi traditũ diadema, priuſquã capiti imponeret, diu retinuiſſe & cõſideraſſe atq; dixiſſe: O nobilem magis, quàm felicẽ pannũ, quem ſi quis penitus cognoſcat, quã multis ſcilicet ſolicitudinibus & periculis ſit refertus, humi iacẽtẽ nõ ſubleuaret. In eãdẽ ſentẽtiã Flaccus Horatius canit dicens: Beatus ille qui procul negocijs, vt priſca gẽs mortalium, paterna

rura bobus exercet ſuis,ſolutus omni fœnore. Neq; excitatur claſsico miles truci,nec horret iratum mare,forumque vitet, & ſuperba ciuium potentiorum limina. Narrat etiam Solinus egregiam ſententiam de Diocletiano, qui voluntarium ocium elegit, beatius ſe viuere cognoſcẽs in agris ruri, quàm in faſtigio imperiali. Venientibus enim amicis & poſtulantibus, vt principatum ſemel depoſitum reciperet,dixit.Vtinam poſſetis olera noſtris manibus inſtituta videre, profectò nunquã iſtud attentandum iudicaretis.Conſenuit ergo præclaro ocio in villa quadam, & dominationem,tanquam peſtem,deteſtabatur.

Gaudete igitur in Domino,quomodo tam diuinorum librorum ſcripta, quàm ſeculariũ philoſophorũ dogmata, partẽ veſtram præferunt. Nihil nouum moliri ſuadeo,ſed vos mutuo iuuate,vt in teſtamento ſancto perſeuerare poſsitis, donec hoc tempus pauculum percurrat, quod vos ad æterna gaudia introducat, per merita ſancti Caroli legiſlatoris veſtri, ſanctique Ludgeri, ac omnium qui

vos in terra VVeſtphaliæ præceſſerunt, & per patrias leges ſua merita auxerũt, ac prẹmia immarceſsibilia perceperunt. Tribuat hoc vobis omnipotẽs Deus pater cæleſtis per vnigenitum Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum eo in vnitate ſpiritus ſancti viuit & regnat, benedictus in omnia ſecula ſæculorum. Amen.

CAPVT XIII.

Exhortatio ad omnes VVeſtphalos in generali.

NAturali inclinatione vnumquodque ad ſuum ſimile conuertitur, & omnis homo eſt naturaliter omni homini amicus. Præcipuè tamen qui eodem ſanguine aut patria ſunt progeniti. Hãc ingenuam dilectionem VVeſtphalia ſupremè habet, in qua odibiles diſſenſiones nunquam fuiſſe legimus, ſicut in pleriſque alijs prouincijs. Eius quoque legati, qui verè naturam radicis VVeſtphalicæ ſapiunt, eandem fidelitatem ſibi viciſsim extra patriam compartiũtur, ac mutua

mutua charitate ſuccurrunt,Sentio idipſum in me, quamquam pro affectu pio conterraneos meos promouere nō poſſum. Idipſum aut quod electiſsimum eſt libens offero, videlicet, vt per ſingulos Dies ſaltem qualemcunq; oratiunculā, & in diuinis maxime ſacrificijs patri miſericordiarum offeram pro eis.

Inſuper & hanc exhortationem, in patriam & in orbem mitto, obnixe rogans vt legalem famam à parentibus ab olim vſque in præſens ad nos tranſmiſſam,in timore Dei& ſimplicitate cordis ad poſteros propagare ſtudeamus. Non minima(mihi credite) nobis dona contulit altiſsimus, qui in admirabile lumē ſuum nos vocauit, & per cunctas orbis partes noſtrū nomen cum laude & gloria diuulgauit.Vbi quæſo reperietis cœmeteriū aliquod in quo ſacri VVeſtphalorum cineres non ſint. Vbi eccleſias, vbi monaſteria,vbi oratoria, vbi peregrinationes inuenietis, vbi ſingultus eorū ac ſacræ preces non ſint fuſæ.

Tantis igitur exemplis prouocati nobilitemus vocationem noſtram per ope-

ra bona, vt Deo pariter & hominibus præſtemus obſequia grata. Et licet omnibus ſiue in patria ſiue extra patriam, aut quibuſcunq; mundi angulis conſtitutis loquatur diuina exhortatio, illos tamen amplius tangit qui maiora dona perceperunt, ſicut ſcriptum eſt: Cui multum donatum eſt, multa requirentur ab eo. Vos igitur prælati cæterique viri ſpectabiles, qui de nihilo creuiſtis in ſublime, priſtinam maxime modeſtiam, humilitatem etiam, & manſuetudinem retinete. Sitis liberales erga pauperes, humani in ſubiectos, gratioſi ad omnes.

Huius exemplũ egregiũ præbuit Traianus ille memorabilis Imperator, qui licet minùs clare natus, omnibus tamen principibus antefertur. Fuit enim inuſitatę ciuilitatis, & fortitudinis, ęqualẽ ſe omnibus exhibens, amicos ſalutãdi cauſa frequẽtans, vel ægrotãtes viſitãs, vel cũ feſtos dies habuiſſent, cõuiuia cum eis indiſcreta viciſsim expendens. Culpantibus autem amicis quòd nimis cõmunis eſſet, reſpondit egregiã auditu ſententiã

talem

generoſus animus exemplo Dauid admonitus, qui tempore tenuitatis optimus fuit. ſed regno adepto in crudelitatem & doloſitatem atque intemperantiam tam carnis quam ſpiritus corruit.

Grande hoc exemplum etiam ſeculares libenter confirmant dicẽtes: Non eſt facile abſque virtute ferre bonas fortunas. Ad magnam igitur virtutem cõſcendat, qui magna conſequutus eſt. Refert antiquitas, ſemper humanã conditionẽ hoc habere, vt facilius aduerſa & infelicia poſsit ſuſtinere, quã proſpera. Denique magnanimitas licet ſit præclara virtus, tamen eius exercitium cum ſumma difficultate retinetur. Nunc autem quã ſit difficile in magnalibus ambulare & animoſum cor à crudelitate præſeruare, duo inclyta exempla docent, quæ Solinus refert libro. XIII. dicens, Vno tempore duarum ſublimium perſonarum virtutes non parum claruere. Ambroſij videlicet epiſcopi, & Theodoſij imperatoris. Erant ambo & naturali dono magnifici cordis, & vltra quam credi poteſt ad ardua proni. Sed præſul ſicut

doctior, ſic & cautior: imperator verò cum non ſibi proſpiceret, grauitur corruit. Caſus talis in Theſſalonica accidit. Orta ſeditione, iudices quidam à ciuibus lapidati ſunt. Commotus imperator, iracundiæ non refrenauit infirmitatem, ſed iuſsit indifferenter occidi nocentes cum innocentibus, ita vt ſeptem miliū impleretur numerus. Quod audiēs beatus Ambroſius, fortis athleta impegit in fortē, & maxima fiducia ipſum proſtrauit. Nā longo tēpore etiā vltra octo mēſes excōmunicatus imperator cōtabuit: & pòſt abſolutus ac acerbiſsimè obiurgatus, ſuper pauimentum pronus iacuit, manibus barbam capilloſque euellens, frontemque percutiens, veniam impetrare poſcebat. Demum inter cætera penitentiæ opera, hæc in mandatis accepit, vt legem ederet, qua decreta furoris euacuaret. Huius tenor talis erat. Theodoſius Auguſtus Flauiano præfecto, &c. Si vindicari in aliquos ſeuerius contra noſtram conſuetudinem pro cauſæ intuitu iuſſerimus, nolumus ſtatim eos aut ſubire ſub pœnam, aut excipere ſententiam,
ſed

ſed per dies triginta ſuper ſtatuta eorũ ſors & fortuna ſuſpenſa ſit. Reos ſanè accipiant vincula, & excubijs ſolertibus vigilanter obſeruent. Quæ lex hactenus obſeruatur.

Sed nunc ô venerabiles legati, hęc ſuprema dogmata tantorum principum, ac principalium virorum ſtudioſius auſcultate. quidnam fuiſtis, cogitate: quid ſitis attendite: quid ſtatim eritis, perpendite. Gratiſsimi eritis promotoribus veſtris, ſi legaliter gubernaueritis miniſterium & officium quod ſuſcepiſtis, ſi benefactori & omnium largitori deuoti fueritis. Hæc propenſius annotaui, quia nihil ita timeo in vobis, ſicut hæc duo mala germina, quæ cunctis pręcipuis viris inſidiantur, ſuperbiam videlicet & ſæuitiam. Proh nephas! quot vidimus de baculo paſtorali abſtractos ad delicias, & ſtatim tumuiſſe, ſed iuſto dei iudicio mox in priſtinam paupertatem corruiſſe. Vos autem viri cordati, qui omnia experti eſtis, nec gratis panem manducatis, ad dei gloriam collatum vobis ſeruate honorem. Non proſpera eleuēt,

non aduerſa perturbent. Multum vtiles eſſe poteſtis qui multa vidiſtis. Maturitas venerabiles, benignitas amabiles, humilitas imitabiles conſtituat. Proles & familiam ſic educate, quales vos eſſe & illas habere vultis. Subiectis item quid expediat, diligenter penſate, de fugaci hac vita mox finienda iugiter cogitate, quid omnium domino placeat implere ſatagite, ipſo eodem auxiliante, qui in trinitate perfecta viuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum benedictus. Amen.

CAPVT XIIII.

De gratijs exhibendis deo pro illuminatione noſtratum.

GRatias humiles nunc in æuum agamus domino deo noſtro, pro illuminatione terrę noſtrę, & perſeuerantia in ſancta & orthodoxa fide ac multis electis hominibus, quos in ea ſibi delegit, & iam in eterna beatitudine ſecũ collocauit. Suſpiremus ad illos, & ita ipſorũ exẽpla imitari ſtudeamus, vt partem cũ

cis habere poſsimus. Sic viuamus vt nos mortis hora paratos inueniat. Et quia laqueis multis & periculis inuoluti ſumus, ipſos ſanctos patres ex toto cordis affectu inuocemus, vt ipſorum ſuffragijs adiuti, cum fructu maximo in via domini proficiamus. Hoc ſiquidem libenter faciunt, & gratanter acceptant, quia noſter profectus eſt ipſorum ſpecialis & laus & gloria.

Poſtremo libellum hunc ad anachoretas vel monachos nō dirigimus, ſed ad illos potius, quos diſtractior cura tēperaliū grauat. Hi ſi nihil de ſuis in noſtris literi[illegible]rerint ſtatim faſtidiunt, ſi nihil de noſtris, minus proficiunt. Miſcui ergo ſecularia ſpiritualibus, quatenus honeſto ſolatio recreati ad ſerioſa fructuoſius recurrant. Vos quoque viri ſpectabiles quos negocium æternæ ſalutis angit, hortor ex corde, his intendite, & ſi quæ latius aut ſtrictius poſita ſunt quā ratio recta dictat, emendate, corrigite, amputate. Benefaciat vobis dominus deus, ſiue in patria ſiue in quocunq; terrarū angulo ſitis & meminerit teſtamē-

ti ſui, quod pro humilibus & abiectis ſancitũ eſt. Omnis enim qui ſe humiliat exaltabitur, & omnis qui ſe exaltat humiliabitur. Nihil nobis glorioſius ſit in hac vita, quàm deo & proximo fideliter ſeruire. Saluator namq; exẽplũ præbuit, quod etiã poſtea verbo explicauit dicens: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Ita & nos cogitemus qui chriſtiani ſumus, quia glorioſum eſt ſequi dominum. Si quid adijcitur ſiue ſubſtantiæ, ſiue honoris, nõ vt mercedem laboris, ſed vt adiumenta ſuſcipiamus virtutis. In mentem veniat, quod opus bonum duplicem habet mercedem. Vnam temperalem ſcilicet victũ veſtitum, ſine quibus non viuitur in hoc ęrumnoſo mundo. Et de hac dominus dicit: Dignus eſt operarius mercede ſua. Secundam æternam, ſcilicet præmium ſpeciale in cęleſtibus, propter intentionem, vt domino deo placeamus: vel ſtudium, vt ipſum non offendamus. Et de hac dominus dicit: Amen dico vobis, ſi quis dederit his calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli, non carebit mercede ſua.

Ecce chariſsimi, quàm felix conditio

noſtra,

noſtra, ſiue pauperes, ſiue diuites ſumus.
Vtrobiq; nos diuina miſericordia in im-
mẽſum remunerat, vtrobiq; ditat, vtro-
biq; nobilitat. Tantum faciamus, quod in
nobis eſt, & ipſe faciet quod in ſe eſt, ade-
ritq; feliciter nobis, per vnigenitum ſuũ
dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cum
quo in vnitate ſpiritus ſancti viuit &
regnat deus, per omnia ſecula ſe-
culorum benedictus,
Amen.

INCIPIT TABVLA SVPER LIBRVM DE LAVDE antiquæ Saxoniæ, nunc VVeſtphaliæ dictæ.

CAPITVLA PRIMAE PARTIS huius libri.

DE ſitu VVeſtphaliæ & eorundem principatuum diſtinctione. Ca.1.
Vnde proceſsit gens VVeſtphalica, & de primis cultoribus terræ illius. Cap.2.
De moribus VVeſtphalorum antequam ad fidem conuerterentur. Cap.3.
De ſimplicitate & pacifica conuerſatione primorum incolarum huius terræ. Cap.4.
De honeſta & rationali cauſa peregrinationis VVeſtphalorum per orbem. Cap.5.
De victoria Saxonum habita contra Anglicos. Cap.6.
De quibuſdam virtutibus Saxonum iſtorum. Cap.7.

SEQVVN-

SEQVVNTVR CAPITVLA ſecundæ partis.

DE conuerſione Saxonum antiquorum ad fidem, & primis parentibus ibidem. Cap.1.
De Carolo magno & Pipino eius patre & alijs qui hanc terram armis ceperunt, & fidei ſubdiderunt. Cap.2.
De primo ingreſſu Caroli in Saxoniam. Cap.3.
De rebellione Saxonum. Cap.4.
De pertinacia & prælijs vvedekini. Ca.5.
De vltimis bellis habitis contra Saxones. Cap.6.
De pace facta & conuerſione vvedekini. Cap.7.
De ſolemni inſtructione epiſcopatuum vtriuſque Saxoniæ. Cap.8.
De cõſummatione & confirmatione Saxonum, & aduentu ſancti Leonis papæ in prouinciam. Cap.9.
De Canonizatione ſancti Caroli, & periculis poſt eius obitum emerſis, & cõuerſione quatuor prouinciarum magnarum.

gnarum. Cap.10.
De inſtitutione prouida quo ad vtrumque ſtatum, & legibus ac iuribus illic per Carolum traditis. Cap.11.

CAPITVLA TERTIAE PARTIS quæ ſuper iucundiſsima ſunt.

De apoſtolatu VVeſtphalorum per orbem Cap.1. & iucundum.
De legatione VVeſtphalorum per orbem. Cap.2.
De modo egreſsionis legatorum horum. Cap.3.
De quibuſdam exemplis, & varia fortuna legatorum iſtorum. Cap.4.
De exercitijs legatorum horum. Ca.5.
De multiplici patientia legatorum iſtorum. Cap.6.
De affinitate VVeſtphaliæ ad cęteras prouincias. Cap.7.
De ſanctis & illuſtribus perſonis, & reliquijs terræ noſtræ. Cap.8.
De ſpectabili inſtitutione huius prouinciæ, & maximè diœceſis Monaſterien. Cap.9.

INDEX.

De excuſanda patria noſtra in quibuſdam. Cap.10.
Exhortatio ad domicellos pro antiquis iuribus conſeruandis. Cap.11.
Exhortatio ad maiores de gratitudine & concordia ſeruanda. Cap.12.
Exhortatio ad omnes VVeſtphalos in generali. Cap.13.
De gratijs exhibendis Deo, pro illuminatione noſtratum. Cap.14.

FINIS.

A01 1468114

XXXV
4
BI